





586294
I
Mag. St. Dr.





Mundus.

1mo

Non erit semper sic,
Quisquis deploras hic
Quod tibi sit Fortuna
Non semper Opportuna
Nil angat te et dic:
Non erit semper sic.

2do

Non erit semper sic,
Quamvis non nemo hic
Inflatus mala sorte,
Quam cras amittet forte,
Te spernat, ridens dic:
Non erit semper sic.

3tio

Non erit semper sic,
Quisquis tristaris hic:
Perpende quod hic luctus
Fert gaudiorum fructus
Solare te et dic:
Non erit semper sic.

4to

Non erit semper sic
Sis licet sanus hic
Per levem morbi flatum
Devolveris ad stratum
Dum vales caute dic:
Non erit semper sic.

5to.

Non erit semper sic
In hoc soleris hic
Post Nubem Phœbus redit
Morbus saluti cedit
Hinc consolatus dic:
Non erit semper sic.

6to

Non erit semper sic
Amico palam dic
Amas me honoratum
Abhorres desolatum
Fallax est amor hic,
Non erit semper sic.

7mo

Non erit semper sic
Quamvis non nemo hic

Ad vultum bene facit
Post tergum tela jacit
Utrumq fere dic:
Non erit semper sic.

8vo

Non erit semper sic
Arcana nulli dic
Quamvis se taciturum
Te nunquam proditurum
Juret, nil crede, dic:
Non erit semper sic

9no

Non erit semper sic
Sis licet fidus hic
Si nescis adulari
Blandiri, vulpinari
Excede nisi sic
Non erit gratus hic

10mo

Non erit semper sic,
Nam nil est constans hic
Nec malum neque Bonum,
Praeterquam DEI Donum

Sis gratus DEo hic,
Non erit semper sic.

11mo

Non erit semper sic
Sunt cuncta vana hic
Contemne mundi dolos
Cœlos anhela solos
Illatus illic dic:
Jam erit semper sic.

Si vis amare Jesum Christum
Non furare librum istum,
Si ipsum furatus fueris
In patibulo pendebis;
Angelus pro te flebit
Diabolus in parte ridebit
Clamabis: bor! – bor! bor! –
Jam nunquam furabor

Simon natus
Podczerwinski vocatus Psalterista
Mansionarius B. V. Mariæ Cracoviæ
1899.

EXERCITIA PIETATIS

PRO P. CORNELIO,
ET STUDIOSA JUVENTUTE
AD
DUCALE MONASTERIUM
RAUDENSE,
Sacri & Exempti Ordinis Cistercienſis
ordinata,
Nec non pro ulteriori Studiorum & morum
profectu ejusdem Studentis Juventutis
accomodata
ex probatis Authoribus collecta,
& concinnata.
CUM FACULTATE SUPERIORUM.

EDITIO SECUNDA.
1600.

a. U

Wójcikowski
1832.



VRATISLAVIÆ,
Typis Joh. Franc. Kreuzer, Reverendiſſ. & Celſiſſimi
Princ. ac Episc. Wratisl. Typog. aulici. 1788.

586294 I
Mag. St. Dr
Bibl. Jag.
1968 K 23 St. Dr.

Benedicam tibi coram Domino. Gen.



C. P. S. C. M. *Klauber Cath. Sc. et exc. A.*



DEDICATIO.

BEATISSIMÆ VIRGINI

M A R I Æ

SINE

MACULA CONCEPTÆ.

TIBI æstimatissimæ, super omnes, quæ infra DEum sunt, creaturas, & totius universi Dominæ, Auxiliatrici, Conservatrici, & Patronæ singularissimæ: dignissimæ DEI Matri, & integerrimæ sine omni labe conceptæ & præservatæ Virgini MARIÆ:

noſtro ſingulariſſimo cordis & animarum delicio, ſpei & ſalutis anchoræ, humillime, & cum plenaria noſtrûm annihilatione, cumque profundiſſimo venerationis & æſtimationis cultu ad tuos venerandiſſimos pedes præſentia ſtudiorum & futuri profectus noſtri ſubjicimus & dedicamus Exercitia. Converte ad nos illos tuos miſericordes oculos Mater miſericordiæ, & procura nobis a tuo te honorante, & tibi nihil negante Filio, ea, quæ DEO placita, & ſaluti noſtræ neceſſaria & utilia ſunt. Impetra in virtutibus profectum, in ſtudiis intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi ſubtilitatem, addiſcendi facilitatem, loquendi gratiam copioſam: Ingreſſum inſtrue, progreſſum dirige, egreſſum comple, & quod omnium maxime neceſſarium & præcipuum eſt, veram & ſinceram, omnibus amicam virtutibus, & Matrem, humilitatem procura, uti & firmiſſime radicatum odium omnis peccati, amorem vero virtutis, & DEI ſuper omnia. Novella accreſcens eſt hæc in loco iſto, tuo aliunde ante ſæcula Cultui & Honori dedicato plantatio noſtra: in quo tibi die & nocte decantandis laudibus vigilant & deſudant famuli tui, quorum Patrona es, & Mater,

ter, & ſub quorum ſtamus diſciplina, Cœnobitæ Raudenſes. Quidni & nobis pro modulo noſtro, qui nos in tuo Hyperduliæ Cultu promovendo infimos, & minimos fatemur diſcipulos, honorem tuum, & laudes concantare, & deprædicare liceat? Mater enim, Domina, & Patrona DEUM amantium, & tibi ſervientium tu es. Patere proinde Auguſtiſſima, & Clementiſſima Domina tibi ad eorum exemplum, non tantum ſtudia, & profectum noſtrum, ſed & corpus & animam, cum omnibus utriusque potentiis in fideliſſimum obſequium, quamdiu ſpiritus corpus reget, integerrimumque holocauſtum conſecrare. Promittimus tibi præterea, & uno corde, & ore conclamamus pro tua Materna Cuſtodia, & Patrocinio, proque omnibus gratiis & donis fideliſſime nos manſuros indigniſſimos ſervulos tuos, tuumque honorem & tuam Majeſtatem etiam cum jactura bonorum, imo honoris, famæ, & vitæ, tuam ſingulariſſime ab omni macula, & labe præſervatam Conceptionem in quacunque etiam ardua occaſione indefeſſe, & zelo Catholico defendere, & propugnare. Qui nos ſanctiſſimæ, & potenti Protectioni, & maternæ curæ cum profundiſſima

humilitate, ſubjectione, & cultu uſque ad ultimum anhelitum vitæ noſtræ, & cineres commendamus, & filiali affectu devovemus.

MATRIS, VIRGINIS, DOMINÆ ET PATRONÆ NOSTRÆ.

Datum in ORATORIO Monaſterii Raudenſis, Sac. Ord. Ciſt. die Introductionis Congregationis Anno 1747. Julii 16.

Humillimi & Subjectiſſimi Filii, Servi, & mancipia
Studioſa SODALITAS
Raudenſis.

PRO

PRO NOTITIA.

De Calendario & Partibus Anni.

Plerisque precationum Libellis Calendarium præponi solet, & recte: usus enim illius permagnus est, non solum ad tempora a temporibus prudenter discernenda, verum etiam ad Festos dies totius anni decursu dignoscendos. Annum Ecclesiæ in Officiis suis a Capricorni ferè principio, quo tempore Christus natus est, velut à principio Regiminis sui auspicatur: licet hodie omnia Calendaria prima Januarii die, ipso Circumcisionis Domini nostri festo annum inchoent à brumali nimirum solstitio, quod veteres octavo gradu Capricorni contingere putabant. Dividitur imprimis Annus in quatuor Partes tropicas, quæ sunt: Hyems, Ver, Æstas & Autumnus. Hyems 22. *Decembris die festum S. Thomæ Apostoli proxime sequente incipit, nempe ad ingressum solis in principium Capricorni, in quem diem etiam solstitium hybernum incidit.* Ver, 21. *Martii, die S. Benedicto sacr. incipit, nempe ad ingressum solis in principium Arietis, qui etiam dies Æquinoctium Vernum adducit.* Æstas, 22. *Junii duobus ante Nativitatem S. Joannis Baptistæ diebus incipit, nempe ad ingressum Solis in principium Cancri, quo item die solstitium æstivum habemus.* Autumnus *in Festo S. Lini Papæ 23. Septembris inchoatur, nempe ad ingressum Solis in principium Libræ, in quem diem etiam æquinoctium Autumnale incidit.*

Hæc omnia hisce Carminibus deſcribuntur:

Ver Benedictus habet: ſequitur Baptiſta diebus
Æſtatem binis; Autumnum Linus habebit.
Aſt hyemem Thomas præcedit nocte perampla,
Hæc duo ſolſtitium faciunt, Cancer Capricornus,
Sed noctes æquant Aries, & Libra diebus.

Deinde dividitur annus in 12. menſes ſolares, quorum nomina nota ſunt. Horum aliqui dies habent triginta & unum, alii triginta, Februarius octo duntaxat & viginti, aut ſi ſit annus bis ſextilis, viginti novem, totus vero annus 365. diebus conſtat, qui 52. Hebdomadas conſtituunt, & unum diem relinquunt reſiduum, ac ſex horas; Quæ horæ cum anno quoque quarto diem integrum efficiant, ſit, ut annus ille quartus, dicatur intercalaris, quod unus dies intercaletur: vel bis ſextus, aut bis ſextilis, quia tali anno bis ſcribitur: ſexto Calendas Martii, nempe die 24. & 25. Februarii; etenim dies ille reſiduus, qui bis ſextum conſtituit, in Februario interponitur, qui menſis tunc eſt 29. dierum, & Feſtum S. Mathiæ celebratur 25. Februarii, littera vero Dominicalis, quæ in Januario aſſumpta fuerat, mutatur in præcedentem, v. g. Si in Januario littera Dominicalis fuit A. mutatur in præcedentem, quæ eſt G. Quæ de diebus menſium & bis ſextili dicta ſunt, vulgari hoc Carmine notantur:

Junius, Aprilis, ſeptemque, novemque, triginta
Unum plus reliqui, viginti Februus octo,
Cui, ſi bis ſextus fuerit ſupperadditur unus
Et tunc bis ſexto Martis conſcribe Calendas.

Hebdo-

Hebdomadæ quoque totius anni hisce Carminibus inclusæ sunt: ita tamen, ut hinc inde dies aliqui redundent.

Quatuor ad Petri, bis ſex ſunt uſque Philippi,
Ad Jacob totidem, novem ſunt ad Michaelem:
Sex ad Martini, ſex ad Natalia Chriſti,
Adde dies octo, totus complebitur annus.

Quod ad Feſta attinet, ea in duplici ſunt differentia: Quædam enim immobilia ſunt, quædam mobilia. Feſta immobilia, ſeu fixa Calendarium clare monſtrat; redeunt enim ſemper anno vertente eadem menſis die; habetque hoc peculiare Calendarium Chriſtianorum, quod ſingulis per annum diebus illuſtria Sanctorum exempla nobis inſpicienda & imitanda proponat. Habet enim Sanctorum Innocentiæ, Charitatis, Fortitudinis, cæterarumque virtutum commemoratio ſtimulos quosdam acerrimos, quibus tunc maxime incitamur, cum illorum propoſitis exemplis noſtram deſidiam agnoſcimus, quamque procul ab illorum laude abſumus, cogitamus. Cernes etiam Lector benevole adjectum annum & natalem, ubi ſciri potuit. Feſta mobilia ſic nominantur, quod raro eodem anni die recurrant, & in Martyrologio ita notantur: Septuageſima, in qua deponitur Canticum Domini: Alleluja. Dies Cinerum initium Jejunii ſacratiſſimæ Quadrageſimæ. Dominica Palmarum, quando Dominus noſter JEſus Chriſtus juxta Zachariæ Prophetiam ſedens ſuper pullum aſinæ Jeroſolymam intravit, cui turba cum ramis palmarum obviam venit. Cœna Dominica, quando Chriſtus JEſus pridie quam pro noſtra ſalute crucifigeretur,

mysteria Corporis & Sanguinis sui Discipulis tradidit celebranda, quam sequuntur Feria sexta magna, sive dies Parasceves, quo Christus Dominus noster crucifixus, mortuus, & sepultus est: Et Sabbathum Paschæ, quo idem Salvator noster in sepulchro quievit. Huic succedit dies, quam fecit Dominus, Solemnitas Solemnitatum, nempe Pascha, seu Resurrectio Salvatoris nostri JEsu Christi secundum carnem. Ascensio Domini nostri JEsu Christi. Dies Pentecostes, quando Spiritus Sanctus Hierosolymis super Discipulos igneis Linguis advenit. Festum Sanctissimæ & individuæ Trinitatis. Festum Sacratissimi Corporis Christi, & Dominicæ Adventus, quibus fit Commemoratio Adventus Domini nostri in Carnem & ad Judicium. Hæc Festa mobilia licet non eodem anni die redeant, omnia tamen (excepto Adventu & Pentecoste) eandem semper inter se distantiam habent; nam Septuagesima a Paschate novem septimanis, Dies Cinerum a Paschate sex Septimanis, & tribus diebus: Ascensio a Paschate Septimanis quinque diebus quatuor distat: Hinc ad Pentecosten usque dies novem exclusive: inde ad Corporis Christi dies decem. Dominica vero prima Adventus illa est, quæ proximior est Festo S. Andreæ, vel quæ ipso Festo venit. His addi possunt quatuor Tempora, quibus a Catholica Christi Ecclesia Jejunium indictum est: ea celebrantur quarta & sexta Feria, ac Sabbatho post tertiam Dominicam Adventus, post Dominicam primam Quadragesimæ, post Pentecosten, post Festum Exaltationis S. Crucis juxta hoc rude Carmen:

Post Crux, post Cineres, post Advent. Penteque - costen
Sit tibi in angaria quarta sequens Feria.

Cernes pariter Lector benevole annotatas Indulgentias plenarias signo PL. *&* *Stationum Urbis signo* St. *quas consequi possunt omnes Sodales Beatissimæ Virginis in gratia existentes, quoties in Ecclesia septies Orationem Dominicam cum Angelica Salutatione pro conservatione Ecclesiæ, prosperitate Romani Pontificis, concordia Principum Christianorum, conversione infidelium, aut hæreticorum, & pro fidelibus Defunctis devote oraverint. Sunt eæ Indulgentiæ a variis Pontificibus concessæ, interdum plenariæ, interdum plurimorum annorum. Et quidem in Festis mobilibus singulis diebus Adventus, singulis quoque diebus quatuor Temporum, & præterea Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, singulis diebus totius Quadragesimæ: rursumque a Festo Paschatis usque ad Dominicam in Albis exclusive (præterquam Feriâ tertiâ Paschæ, & Feriâ secundâ in Rogationibus) in Festo Ascensionis, & Pentecostes per totam Octavam obtineri possunt Indulgentiæ Stationum Urbis. In Festis vero immobilibus, vel eædem, vel plenariæ, prout in sequenti Calendario notatum est. Potest quoque eadem devotione in Dominica Septuagesimæ, Feriâ tertiâ post Dominicam primam Quadragesimæ, item die Sabbathi post Dominicam Passionis, Feriâ quarâ infra Octavam Paschæ, Feriâ tertiâ Pentecostes, & Sabbatho post Pentecosten liberari anima è Purgatorio, ut pluribus habetur in Bulla Gregorii* XIII. *edita super Erectione Congregationis Beatissimæ Virginis Annuntiatæ. Romæ Anno* 1584.

TABULA TEMPORARIA

	Annus	Littera Dominic.	Aureus Numerus	Epacta.	Indictio	Litt. Martyrol	Septuagesima.
	1788	F. E.	3	XXII.	6	C.	20 Jan.
	1789	D.	4	III.	7	c.	8 Febr.
	1790	C.	5	XIV.	8	p.	31 Jan.
	1791	B.	6	XXV.	9	F.	20 Febr.
	1792	A. G.	7	VI.	10	f.	5 Febr.
	1793	F.	8	XVII.	11	ſ.	27 Jan.
	1794	E.	9	XXVIII	12	M.	16 Febr.
	1795	D.	10	IX.	13	i.	1 Febr.
	1796	C. B.	11	XX.	14	A.	24 Jan.
	1797	A.	12	I.	15	a.	12 Febr.
	1798	G.	13	XII.	1	m.	4 Febr.
	1799	F.	14	XXIII.	2	D.	20 Jan.
	1800	E.	15	IV.	3	d.	9 Febr.
	1801	D.	16	XV.	4	q.	1 Febr.
1824	1802	C.	17	XXVI.	5	G.	14 Febr.
1825	1803	B.	18	VII.	6	g.	6 Febr.
	1804	A. G.	19	XVIII.	7	t.	29 Jan.
	1805	F.	1	*	8	P.	10 Febr.
	1806	E.	2	XI.	9	l.	2 Febr.
1827	1807	D.	3	XXII.	10	C.	25 Jan.
	1808	C. B.	4	III.	11	c.	14 Febr.
1820.	1809	A.	5	XIV.	12	p.	29 Jan.
1821	1810	G.	6	XXV.	13	F.	18 Febr.
	1811	F.	7	VI.	14	f.	10 Febr.
	1812	E. D.	8	XVII.	15	ſ.	26 Jan.
	1813	C.	9	XXVIII	1	M.	14 Febr.
	1814	B.	10	IX.	2	i.	6 Febr.
1826	1815	A.	11	XX.	3	A.	22 Jan.
	1816	G. F.	12	I.	4	a.	11 Febr.
	1817	E.	13	XII.	5	m.	2 Febr.

1822 } = Pascha 7 Aprili | 1823. Pascha 30.
1833 } | 1834 13
1901 (| 1902 marti

FESTORUM MOBILIUM.

Dies Cinerum.	Paſcha	Aſcenſio.	Pentecoſtes.	Corpus Chriſt	Dom. poſt Pent.	Domin. I. Advent.
6 Febr	23 Mar	1 Maj.	11Maj	22Maj	28	30 Nov
25 Feb	12 Apr	21Maj	31Maj	11Jun	25	29 Nov
17 Feb	4 April	13Maj	23Maj	3 Jun	26	28 Nov
9 Mart	24 Apr	2 Jun.	12Jun	23Jun	23	27 Nov
22 Feb	8 April	17Maj	27Maj	7 Jun.	26	2 Dec.
13Febr	31 Mar	9 Maji	19Maj	30Maj	27	1 Dec.
5 Mart	20Apr.	29Maj	8 Jun.	19Jun	24	30Nov.
18Febr	5 April	14Maj	24Maj	4 Jun	26	29Nov.
10Febr	27 Mar	5 Maji	15Maj	26Maj	27	27Nov.
1 Mart.	16Apr.	25Maj	4 Jun.	15Jun	25	3 Dec.
21Febr	8 April	17Maj	27Maj	7 Jun.	26	2 Dec.
6 Febr.	24 Mar	2 Maji	12Maj	23Maj	28	1 Dec.
26Febr	13Apr.	22Maj	1 Jun.	12Jun	25	30Nov.
18Febr	5 April	14Maj	24Maj	4 Jun.	26	29Nov.
3 Mart.	18Apr.	27Maj	6 Jun.	17Jun	24	28Nov.
23Febr	10Apr.	19Maj	29Maj	9 Jun.	25	27 Nov
15Febr	1 April	10Maj	20Maj	31Maj	27	2 Dec.
27Febr	14Apr.	23Maj	2 Jun.	13Jun	25	1 Dec.
19Febr	6 April	15Maj	25Maj	5 Jun.	26	30Nov.
11Febr	29 Mar	7 Maji	17Maj	28Maj	27	29Nov.
2 Mart.	17Apr.	26Maj	5 Jun.	16Jun	24	27 Nov
15Feb.	2 April	11Maj	21Maj	1 Jun.	27	3 Dec.
7 Mart.	22Apr.	31Maj	10Jun	21Jun	24	2 Dec.
27Feb.	14Apr.	23Maj	2 Jun.	13Jun	25	1 Dec.
12Feb.	29 Mar	7 Maji	17Maj	28Maj	27	29Nov
3 Mart.	18Apr.	27Maj	6 Jun.	17Jun	24	28 Nov
23Febr	10Apr.	19Maj	29Maj	9 Jun.	25	27Nov.
8 Febr.	26 Mar	4 Maji	14Maj	25Maj	28	3 Dec.
28Febr	14Apr.	23Maj	2 Jun.	13Jun	25	1 Dec.
19Febr	6 April	15Maj	25Maj	5 Jun.	26	30Nov

22. Nov.
10. Apr.
2. Edsen.

JANUARIUS.

A 1 Circumcisio Domini nostri JEsu Christi. PL.
b 2 Macarii Abbatis Alexandrini a. 372. Item Alardi Conf. Sac. Ord. Cisterciensis.
c 3 Genovefæ Virg. Parisiensis a 429.
d 4 Titi Cretensium Episcopi à S. Paulo ordinati a. 50. Item Rigoberti Ep. Patroni messis.
e 5 Simeonis Stylitæ Monachi Antiocheni a. 460. Item Edvardi Regis Angliæ a. 1060.
f 6 Epiphania Domini Pl. Item Edilvaldi Episc. Sac. Ord. Cist.
g 7 Relatio Pueri JEsu ex Ægypto a. 7. ejus. Item Amadæi Episc. Sac. Ord. Cist.
A 8 Severini Abbatis, Noricorum Apost. a. 482. Item Laurentii Justiniani Patroni in dol. gut.
b 9 Juliani Mart. & Basilissæ Virg. Uxoris ejus a. 309. Item Salomonis Conf. S. O. C.
c 10 Pauli Primi Eremitæ in Thebaide a. 343. Item Guillelmi Archi-Episc. S. O. C.
d 11 Theodosii Abbatis Patroni tempore famis.
e 12 Quadraginta duorum Monachorum, qui Ephesi ob Cultum sacrarum Imaginum sævissime cruciati sunt a. 262. Item Æiltedi Abb. Sac. Ord. Cist.
f 13 Hilarii Episcopi Pictaviensis 369. Item Henrici Conf. Sac. Ord. Cist.
g 14 Felicis Presbyt. & Conf. Nolani a. 412. St. Item Festum Sanct. Nom. JEsu.
A 15 Mauri Abb. Discip. S. Benedicti a 565. In Ecclesia Benedict. & Cist. PL.

b 16

b 16 Marcelli Pap. & Mart. a. 309. PL. Item Rolandi Conf. S. O. C.
c 17 Antonii Erem. Ægypt. mult. Monach. Ab. Patroni contra Spectra. a. 358. PL.
d 18 Cathedra S. Petri, quâ prim. Romæ ſedit. PL. Item Priſcæ Romanæ Virg. & Mart. a. 57.
e 19 Marii & Marthæ Conjugum, qui Romam è Perſide Orationis gratiâ venientes, varie cruciati, & occiſi ſunt. a. 270. PL.
f 20 Fabiani & Sebaſtiani Mart. a. 235. Patron. contra peſtem.
g 21 Agnetis Virg. & Mart. Romæ a. 304. æt. 13. Patronæ Virginitatis St.
A 22 Vincentii Levit. & Mart. Valent. in Hiſp. a. 542. St. Item Gualteri Conf. S. O. C.
b 23 Deſponſatio B. V. Mariæ cum S. Joſepho anno mundi 4051 in civitate Nazareth Imperatore Auguſto, ſummo Pontif. Mathia. Ind. Sodalit. Rauden. Item Joannis Eleem. a. 304.
c 24 Timothei Epiſc. & M. S. Pauli Diſc. Epheſi a. 109. Item Theobaldi Abb. Sac. Ord. Ciſt.
d 25 Converſio S. Pauli Apoſt. a. 36. PL.
e 26 Polycarpi B. Joannis Apoſt. Diſcip. Smirnæ Ep. Romæ 169. Item Alberici Abb. S. O. C.
f 27 Joan. Chryſoſt. Ep. Conſt. a. 407. St.
g 28 Cyrilli Epiſc. Alexandrini a. 430. Item Caroli Magni Rom. Imp.
A 29 Valerii Epiſc. Trevir. Diſcip. S. Petri Ap. a. 46. Item Romberti Converſi S. O. C.
b 30 Adelgundis Virg. in Hannonia a. 66. Item Alani Converſi Sac. Ord. Ciſt.

c 31 Marcellæ Viduæ Romanæ a. 410. Item Petri Conversi Sac. Ord. Cist.

FEBRUARIUS.

d 1 Ignatii Episc. & M. Antiocheni a. 110.
e 2 Purificatio B. V. Mariæ a. 1. Pl.
f 3 Blasii Episc. & M. Sebastæ in Armen. a. 316 Patroni in dolore colli.
g 4 Veronicæ Matronæ Hierosolomitanæ Salvatoris Discip. a. 34. It. Christiani Conf. S. O. C.
A 5 Agathæ Virg. & M. in Sicilia a. 253. St. Patronæ contra ignem.
b 6 Dorotheæ V. & M. in Cappadocia a. 304. It. Guarini Episc. Sac. Ord. Cist.
c 7 Romualdi Abb. Monachor. Camaldulens. Patris a. 977. Item Nivardi Abb. S. O. C.
d 8 Cuinthæ sive Quintæ M. Alexandrinæ a. 252 Item Marinæ V.
e 9 Apolloniæ V. & M. Alexandrinæ a. 251. Patronæ in dolor. dent. It. Gilberti Conf. S.O.C.
f 10 Scholasticæ V. Sororis S. Benedicti a. 535. Item in Eccl. Benedict. & Cisterc. PL. It. Guilielmi Ducis Aquitaniæ Erem. S. O. C. a. 1156.
g 11 Desiderii Episc. & M. Lugduni a. 612. It. Nicolai Conf. Sac. Ord. Cist.
A 12 Eulaliæ Virg. pro Christo cruci affixæ Barcinonæ a. 303. It. Gildæ Virg. Sac. Ord. C.
b 13 Fuscæ V. & Mauræ nutricis ejus M. Ravennæ a. 254. It. Stephani Episc. & Card. S. O. C.
c 14 Valentini Presbyt. & M. Romani a. 170. Patroni contra morbum caducum.

d 15 Faustini & Jovitæ MM. Brixiæ a. 122. Item Pertradis Virg. Sac. Ord. Cist.
e 16 Julianæ V. & M. Nicomediæ a. 290.
f 17 Theoduli Senis pro Christo crucifixi Cæsareæ a. 308 Item Frovini Abb. Sac. O. C.
g 18 Simeonis Filii Cleophæ Salvatoris propinqui Jerosolim. Episc. pro Christo anno ætat. 120. crucifixi a. 76. It. Odonis Conf. S. O. C.
A 19 Conradi Conf. Placentini ex Ord. Tertiar. S. Francisci a. 1351. It. Bonifacii Episc. S. O. C.
b 20 Evcharii Episc. Aurelianensis a. 723. Item Isembardi Conf. S. O. Cist.
c 21 Pipini Ducis Brabantiæ, Patris S. Gertrudis Nivellæ.
d 22 Cathedra S. Petri Antiochiæ a. 39. PL.
e 23 Vigilia. It. Cæsarii Conf. Sac. O. C.
f 24 Matthiæ Apost. a. 44. PL.
g 25 Cæsarii Nazianzeni, Fratris B. Gregorii Ep. Nazianz. a. 368 It Bartholomæi Abb. S.O.C.
A 26 Nestoris Episc. in Pamphilia pro fide in cruce suspensi a. 54 Item Porphirii Episc. Patroni contra Siccitatem.
b 27 Juliani Mart. Alexandrini a. 253. Patroni contra Podagram.
c 28 Romani Abb. in Territorio Lugonensi plurimorum Monachorum Patris a. 565. Item Violantiæ Abb. Sac. Ord. Cist.

MARTIUS.

d 1 Albini Episc. Andegav. a. 313. It. Svidberti Ep. Frisonum & Batavor. Apostoli a. 717.

e 2 Simplicii Papæ & Conf. Romæ a. 467.
f 3 Cunegundis Augustæ Conjugis S. Henrici Imp. Virginis a. 1040.
g 4 Casimiri, Regis Poloniæ Filii Conf. a. 1489.
A 5 Phocæ M. Antiocheni a. 114. Item Gerardi Conf. Sac. Ord. Cist.
b 6 Victoris & Victorini Fratrum a. 253. Item Colettæ Virg. It. Arnulphi Abb. S. O. C.
c 7 Thomæ Aquinatis Conf. & Eccl. Doctor. Angel. ex Ord. Prædic. a. 1260. PL. Item Pauli Simplicis Eremit. Discip. S. Antonii in Thebaide a. 326.
d 8 Philemonis & Apollonii Diaconi Martyrum in Ægypto a. 310. Item Vincentii Kadlubek Ex Episcopi Cracoviensis Professi Andreoviensis Sac. Ord. Cist.
e 9 Gregorii Nisseni Episc. & Conf. Fratris St. Basilii a. 369 Item Cyrilli & Methodii Ep. qui Moraviam & vicinas gentes ad fidem Christi perduxerunt a. 879. Item Franciscæ Viduæ Romanæ a. 1440.
f 10 Macarii Episc. Hierof. Conf. a. 331.
g 11 Eulogii Presbyt. Cordubæ M. a. 859. Item Mamerti Abb. Sac. Ord. Cist.
A 12 Gregorii Magni Papæ & Eccles. Doct. Anglor. Apostol. a. 604. PL.
b 13 Christianæ Virg. & M. in Perside a. 857. Item Sanciæ Filiæ Regiæ V. S. O. Cist.
c 14 Mathildis Reginæ, Matris Ottonis I. Imp. Halberstadii a. 973. It. Petri Abb. S. O. C.
d 15 Longini Militis & M. Cæsareæ in Capadoc.

qui

qui latus Domini Lanceâ perforasse perhibetur a. 34. Item Raymundi Abb S. O. C.
e 16 Heriberti Episc. Coloniensis a. 1020.
f 17 Joseph ab Arimathia nobilis Decurionis, qui Christi Corpus de Cruce depositum in suo monumento sepelivit a. 35. Item Conradi Conf. S. O. Cist.
g 17 Edvardi Regis in Britannia a. 978. Item Christiani Episc. S. O. Cist.
A 19 Josephi Sponsi B. V. Mariæ PL.
b 20 Joachimi Patris B. V. M.
c 21 S. Benedicti Abb. a. 542. St. In Eccl. S. Benedicti & Cist. PL.

Æquinoctium vernum.

d 22 Octaviani Archi-Diaconi & mult. millium Mart. qui à Wandalis cæsi sunt Carthagine. Item Raphaëlis Archang.
e 23 Serapionis Abb. Alexandr. a. 247. Item Gentæ Abbatis. S. O. C. Item S. Bernardus pascitur Christi Sanguine de Cruce a. 1150.
f 24 Simeonis Pueri Tridentini à Judæis excruciati a. 1475. PL. It. Justi Conf. S. O. C.
g 25 Annuntiatio B. V. Mariæ in Civitate Nazareth Anno mundi 4052. Imper. Augusto, summo Pontifice Joazaro PL.
A 26 Castuli M. Romæ a 286. Item Alexandri Militis in Pannonia a. 308.
b 27 Ruperti Ep. Salisb. Bav. & Norici Ap. a. 590.
c 28 Prisci, Malchi & Alexandri MM. Cæsareæ in Palestina a. 260. It. Guntrami Reg. Gall.

d 29 Jonæ & Barachisii MM. in Persia a. 344. Item Aymonis Conf. S. O. C.
e 30 Quirini Tribuni Romani & M. a. 132. It. Raynaldi Conf. S. O. Cist.
f 31 Amos Prophetæ in Palestina.
In Festo sept. Dolor. B. V. Mariæ, quod celeb. Fer. 6. post Dom. Passionis Indulg. Sodal. Raud.

APRILIS.

g 1 Theodoræ V. & M. Romæ a. 132. Item Walrici Abb. S. O. C. Patroni contra Cicadas.
A 2 Francisci de Paula, Ord. Min. Instit. a. 1507. It. Mariæ Ægypt. peccat. conv. a. 326.
b 3 Pancratii Ep. & M. Tauromenii in Sicilia a. 46. Item Josephi Conf. Patroni Poetarum.
c 4 Ambrosii Episc. Mediolan. Eccl. Doct. a. 397 Item Aleydis Matris S. Bernardi.
d 5 Irenes Virg. Tessalonicæ & M. a. 340. Item Vincentii Ferrerii Ord. Præd. in Britan. a. 1419. It. Julianæ V. S. O. C. Ad cujus instant. Festum SS. Corp. Christi institutum est.
e 6 Gulielmi Abb. in Dania mirac. clari a. 1202 It. Martini Fundat. Reform. Hisp. S. O. C.
f 7 Calliopii M. pro Christo capite in terram verso crucifixi. It. Alberici Conf. Patr. temp. famis.
g 8 Dionysii Ep. Corinthi a. 187. Item Guilielmi, Conf. S. O. C.
A 9 Mariæ Cleophæ Sororis B. V. M.
b 10 Ezechielis Prophetæ & M. apud Babylon. Item Eskyli Archi-Episc. S. O. C.
c 11 Leonis Magni Papæ & Mart. a. 460. Item Stephani M. & Abb. S. O. C.

d 12 Victoris M. in Lusitania a. 360. Item Erici Regis Sac. Ord. Cist.

e 13 Justini Philosophi & M. a. 265. Item Hermenegildi Regis & M. in Hisp. a. 584.

f 14 Tiburtii & Valeriani Fratr. & MM. per S. Cæciliam conv. Romæ a. 232. It. Eberhardi Abb. S. O. C. It. Lydvinæ V. Pat. infir. sing.

g 15 Basilissæ & Anastasiæ nobil. Matron. & MM. Romæ a. 303. Item Christinæ V. S O. C.

A 16 Encratidis V. & M. Cæsar Augustæ in Hisp. a. 336. Item Guarini Archi-Episc. S. O. C.

b 17 Aniceti Papæ & M. Romæ a. 175. Item Stephani Abbatis Cisterciensis a. 1117.

c 18 Apollonii Senatoris Rom. M. a. 189. It. Idesbaldi Abb. S. O. C.

d 19 Timonis Diaconi de 7. primis, qui Corinthi crucifixus est a. 35. It. Burchardi Abb. S O.C.

e 20 Agnetis V. Ord. S. Dominici a. 1350. Item Hildegundis V. S. O. Cist.

f 21 Anselmi Cantuariensis Archi-Episc. a. 1109. Item Fastradi Abb. S. O. C.

g 22 Soteris & Caji Pont, & M. Romæ a. 179. & a. 296. Item Huberti Episc. S. O. C.

A 23 Adalberti Prag. Ep. & M. a. 997. Item Georgii Cappadocis M. gloriosi a. 290.

b 24 Honorati Conf. Conversi Sac. Ord. Cist.

c 25 Marci Evang. & M. Item Benedicti XII. Romani Pont. S. O. Cist.

Litaniæ majores à S. Gregorio institutæ.

d 26 Cleti & Marcellini Pontif. & MM. Romæ a. 93. alter. a. 304. Item Franchæ V. S. O. C.

e 27 Anastasii Papæ a. 400.
f 28 Vitalis M. Ravennæ a. 160. Item Joannis Barrei Fund. Congreg. Fuliens. S. O. C.
g 29 Petri M. Ord. Prædic. Mediolani a. 1252. Item Hugonis Abb. Cluniac. a. 1109. Item Roberti Primi Abbatis & Fundatoris Sacri & Exempti Ordinis Cisterc. cæpti 1098. juxta hæc antiqua.

Anno milleno centeno bis minus unô
Sub Patre Roberto cæpit Cistercius Ordo.

A 30 Catharinæ Senensis V. Ord. S. Dominici a. 1380. Item Franconis Abb. S. O. Cist.

MAJUS.

Singulis Dominicis hujus Mensis PL.

b 1 Philippi Apost. pro fide Christi in Scythia Cruci affixi; & Jacobi Fratris Domini Hierosolymor. Episc. è pinna templi præcipitati, inde fullonis fuste occisi a. 58. PL.
c 2 Athanasii Episc. Alexandr. Conf. & Eccl. Doct. Eximii a. 372. Item Candidi Conf. S. O. C.
d 3 Inventio Sacro-Sanctæ Crucis Domini æ. a. 311. It. Alexandri Reg. Princ. S. O. C. PL.
e 4 Monicæ Matris S. Augustini a. 398. Item Floriani M. Laureacensis in Sup. Austria a. 297. Patroni contra ignem.
f 5 Hilarii Episc. Arelatensis a. 445. It. Martini alias Sacerdotis Episc. S. O. C.
g 6 Joannis Apost. Romæ ante port. Lat. in ferventis olei dolium conjecti a. 92. Item Joannis Damasc. Conf. Eximii PL.

A 7 Stanislai Episc. Cracoviens. & M. a. 1079.
b 8 Apparit. S. Michaelis Archang. a. 493. PL.
c 9 Gregorii Episc. Nazianz. a. 389.
d 10 Job Prophetæ in terra Hus. Item Isidori Conf. Patr. Rusticor. It. Petri Archi-Ep. S.O.C.
e 11 Majoli Abb. Cluniac. Patroni contra dolor. oculorum a. 991.
f 12 Pancratii M. 12 ann. pueri Romæ a. 303. It. Epiphani Episc. Salaminæ in Cypro Conf. Exim. a. 402. Item Verrici Conf S. O C.
g 13 Marci Presb. & M. Constant. a. 431. Item Thomæ M. S. O. C. Item S. Bernardus potat. lacte reali à B. V. Maria a. 1146.
A 14 Pachomii Abb. in Ægypto a. 328.
b 15 Dympnæ V. & M. in Brabantia Filiæ Reg. Hyber. Patris jussu pro fide decollatæ an. 600. Item Margarithæ V. S. O. C.
c 16 Brandani Abb. in Scotia a. 750. It. Joannis Nepom. M. Canonici Pragensis, Patroni Famæ & boni nominis.
d 17 Restitutæ V. & M. apud Neapolim a. 397.
e 18 Erici Regis & M. in Svecia a. 1151.
f 19 Potentianæ V. quæ Romæ post innumer. agones obiit a. 151. Item Petri Cælestini Papæ, qui Pontificatu se abdicans rediit ad Eremum. a. 1295. Item Ivonis Presb. & Conf. in Britan. advoc. paup. a. 1060.
g 20 Basillæ V. ex Regio genere & M. Romæ a. 262. It. Bernardini Sen. Ord. Min. a. 1444.
A 21 Hospitii Conf. Niciæ in Gallia a. 581.

b 22 Juliæ V. pro Christo crucifixæ in Corsica a. 440. Item Romani Abb. qui S. Bened. minist. a. 540. Item Helsuindis Abb. S. O. C.
c 23 Desiderii Episc. Lingon. in Gallia & M. a. 346. It. Tesselini Conf. Pat. S. Bern. S. O. C.
d 24 Joannæ uxoris Chuzæ procurat. Herodis an. 36.
e 25 Urbani Papæ & M. Patroni contra tempest. & grandinem a 233.
f 26 Augustini Episc. Cant. ex Ord S. Benedict. Anglo. Apost. a. 614. It. Philippi Nerii Congregationis Orat. Fundatoris Romæ a. 1595.
g 27 Bedæ Venerab. Presbyteri a. 734. It. Joannis Conf. Sac. Ord Cist.
A 28 Germani Episc. Parisiensis a. 579.
b 29 Maximus Episc. Trevirensis a. 347. It. Festiva coñemor multor. MM. in Bohemia S. O. C qui ab Hussitis crudel. trucitati sunt.
c 30 Felicis Papæ & M. Romæ a. 275. It. Jacobi Conf. Sac. Ord. Cist.
d 31 Petronillæ V. Filiæ B. Petri Apost. a. 69. It. Fulconis Abb. Sac. Ord. Cist.

JUNIUS.

Singulis Dominicis hujus mensis PL.

e 1 Pamphili Presbyt. & M. Cæsar. in Palæst. a. 308. It. Alberti Episc. S. O. Cist. Fundat. Ordinis Gladiferorum.
f 2 Marcellini Presbyt. & Petri Exorcistæ MM. Romæ a. 189. St. It. Ludov. Abb. S. O. C.

g 3 Lucilliani M. Constantinop. It. Lisardi Conversi Sac. Ord. Cist.
A 4 Quirini Ep. & M. a. 308. It. Hilarii. Conv. Sac. Ord. Cist.
b 5 Bonifacii Ep. Mogunt. German. Apost. a. 755
c 6 Norberti Episc. Magdeburg. Fundatoris Ord. Præmonstrat. a. 1134.
d 7 Roberti Abb. S. O. C. in Anglia a. 1159.
e 8 Medardi Episc. Noviodunensis a 564.
f 9 Primi & Feliciani MM. a. 303. It. Wenturæ Conf. Patroni Tinctorum.
g 10 Getuli & Soc. MM. Romæ a. 138. It. Olivæ V. & M. Patronæ contra tent. carnis.
A 11 Barnabæ Apost. Cypri a. 51. St. It. Reyneri Conf. Sac. Ord. Cist.
b 12 Onuphrii Anachoretæ in Ægypto vitæ admirabilis a. 370. It. Guidonis Conf. S. O. C.
c 13 Antonii de Padua Lusitani Ord. Minor. a. 1231. It. Gerardi S. Bernardi fratris S. O. C.
d 14 Basilii Magni Cæsareæ in Cappadocia Episc. doctrinâ clar. a. 368. It. Menciæ Abb. S. O. C.
e 15 Viti, Modesti & Crescentiæ MM. in Sic. a. 303.
f 16 Ludgardis V. S. O. C. Aquiriæ in Brabant.
g 17 Montani Militis & M. Civis Romani Tarracinæ a. 130. It. Theresæ Reginæ Monast. Lorvanien. in Portugallia S. Ord. C.
A 18 Marci & Marcelliani MM. Romæ a. 284. It. Elisabethæ Schœnaugiæ Abb. S. O. C. a. 1165
b 19 Gervasii & Protasii fratrum MM. Mediolani a. 171. It. Romualdi Conf. Patroni Pellionum. It. Bonifacii Monachi M. Russiæ Apost.

c 20 Sylverii Papæ & M. Romæ a. 536. It. Benignæ V. & M. S. O. C. Wratislaviæ in Monast. à Tartaris crudeliter occisæ.

d 21 Aloysii Gonzagæ Clerici Relig. ex Societ. Jesu Romæ a. 1591. It. Constantini Conversi S. O. C per S. Bernardum à Patibulo mirabiliter liberati.

e 22 Paulini Episc. Nolani Patroni Hortulanorum a. 431. It. decem millium crucifixorum in monte Ararat in Armenia a. 108.

Solstitium æstivum.

f 23 Edeltrudis Reg. V. in Britannia a. 626. It. Felicis S. O. C. Cist. qui post mortem S. Stephano apparuit, & propugnationem ordinis, adventumque S. Bernardi revelavit. Jejun.

g 24 Joannis Baptistæ Præcursoris Domini PL.

A 25 Febroniæ V. & M. in Syria a. 311. It. Evæ V, S. O. C. quæ cum auxilio Julianæ V. S. O. C. celeb FestiCorp. Christi apud S. sedem impet.

b 26 Joannis & Pauli fratr. MM. Rom. a. 398. St.

c 27 Ladislai Regis Hungariæ a. 1191.

d 28 Irenæi Episc. Lugdun. a. 205. Jejunium.

e 29 Petri & Pauli Apost. quorum prior capite ad terram verso crucifixus, alter gladio percussus est Romæ a. 98. PL.

f 30 Commemoratio S. Pauli Apost. PL. It. Lucinæ Apostolorum Discipulæ Romæ a. 70.

JULIUS.

g 1 Aaronis, 1. Sacerdotis Ordinis Levitici in monte Hor. It. Bartholomæi Abb. S. O. C.

A 2 Visitatio B. V. Mariæ PL. It. Ottonis Episc. Bamberg. qui Pomeranos convertit ad Fidem a. 1124.

b 3 Anatholii Episc. Laodiceæ in Syria a. 283. It. Joannis Archi-Episc. Sac. Ord. Cist.

c 4 Oseæ & Aggei Prophetar. in Palestina. Item Udalrici Episc. Augustani a. 973. It. Bertrami Conf. Sac. Ord. Cist.

d 5 Zoæ M. Uxoris S. Nicostrati M. Romæ a. 146. It. Wilhelmi Episc. Pat. Lanionum.

e 6 Esaiæ Prophetæ in Judea, qui sub Manasse Rege sectus in duas partes occubuit. Item Harmani Conf. Sac. Ord. Cist.

f 7 Florentii Conversi Sac. Ord. Cist.

g 8 Kiliani Episc. Herbipolens. a. 742. Item Evgenii Pap. Sac. Ord. Cist.

A 9 Zenonis & aliorum 10203. MM. Romæ a. 298. PL. It. Theobaldi Abb. S. O. C.

b 10 Septem Fratrum MM. Filiorum S. Felicitatis Romæ a. 175. It. Petronillæ V. S. O. C.

c 11 Pii Papæ & M. Romæ a. 167. It. Matthæi Archi-Ep. Sac. Ord. Cist.

d 12 Joannis Gualberti Abb. Institutoris Ordinis Vallis Umbrosæ a. 1073.

e 13 Anacleti Papæ M. Romæ a. 122. It. Margarethæ V. M.

f 14 Bonaventuræ Cardinal. Episc. Albanensis, Eccl. Doct. ex Ord. Minor. Lugduni a. 1274. PL. It. Henrici Abb. Cardinal. S. O. C.

g 15 Henrici I. Imperatoris qui cum Uxore Cunegunde Virginitatem servavit, & S. Stephanum Hung. Reg. ad fidem perduxit a. 1024.

A 16 Stephani III. Abbatis Ciſtercii S. O. C. in Eccl. Benedictin. & Ciſter. PL.
b 17 Alexii Patricii Romani C. Romæ a. 388. PL.
c 18 Symphoroſæ Uxoris S. Geruli M. cum 7. Filiis Rom. a. 138. It. Berthæ Abb. S. O. C.
d 19 Arſenii ex Rom. Eccl. Diacono Anachoretæ Thebani a. 412. It. Gumari Regis Sardiniæ S. O. C. It. Wilgefortis V. & M.
e 20 Margarithæ V. & M. Antiochiæ a. 250. It. Eliæ Prophetæ in monte carmelo. It. Joannis Abb. Sac. Ord. Ciſt. PL.
f 21 Praxedis V. Rom. a. 164. St. It. Danielis Proph. in Babilone. It. Gabriel. Conf. S. O. C.
g 22 Mariæ Magdalen. apud Maſſiliam in Gallia a. 84. PL. It. Godefridi Abb. Ciſter. S. O. C.
A 23 Apollinaris Epiſc. Ravennæ M. S. Petri Diſcipuli a. 75. St. It. Liborii Epiſc. Patroni contra calculum.
b 24 Vigil. ſine Jejun. It. Chriſtinæ V. M. Tyri an. 275. St.
c 25 Jacobi Apoſt. Fratris S. Joannis Ev. Hieroſolymis decollati, ſed in Galliciam in Hiſpanias translati, paſſus eſt a. 44. It. Chriſtophori M. illuſtriſſimi in Lycia a. 254. PL.
d 26 Annæ Matris Genitricis Dei Mariæ PL. It. Indulg. Sodalit. Raud.
e 27 Pantaleonis Medici & M. Nicomediæ an. 311. It. Chriſtiani Conf. S. O. C. It. ſeptem dormientium MM. Epheſi a. 254.
f 28 Victoris Papæ & M. Rom. a. 385. It. Guicardi Conf. Sac. Ord. Ciſt.

g 29 Marthæ V. Sororis S. Lazari & Mariæ Magd. Tarasæ in Gallia a. 45. It. Alexandri Abb. S.O.C.
A 30 Abdon & Sennen MM. Persarum Rom. a. 254. St. It. Guidonis Episc. & Card. S. O. C.
b 31 Joannis Columbini Institutoris Ordinis Jesuatorum Senis a. 367. It. Ignatii Conf. Fundat. Soc. Jesu. a. 1556. It. Adami Abb. S. O. C.

AUGUSTUS.

c 1 Petri ad Vincula Romæ a. 44. It. Fidei, Spei & Charitatis Sororum V. & M. Rom. a. 122.
d 2 Stephani Pap. & M. Rom. a. 260. It. Dedicat. Portiunculæ, sive S. Mariæ Angel. PL.
e 3 Inventio Corporum S. Stephani Protomart. Gamalielis Nicodemi, & Abibonis Hierosol. a. 415. PL. It. Conradi Archi-Ep. Salisb. Filii S. Leopoldi Sac. Ord. Cist.
f 4 Dominici Conf. Fundatoris Ord. Prædicator. Bononiæ a. 1221. PL. It. Thomæ Lombardi Sac. Ord. Cist.
g 5 Dedicatio Basilicæ S. Mariæ ad Nives Rom. a. 367. PL. It. Cistercii, Regina Angel. S. Alberico mutav. Cucullæ color. nigrum in alb.
A 6 Transfiguratio D. N. JEsu Christi in monte Thabor. It. Sixti II. Pap. & M. Rom. a. 261. It. Jezelini Eremit. S. Ord. Cist.
b 7 Donati Episc. & M. in Tuscia a. 362.
c 8 Cyriaci, Largi & Smaragdi MM. Romæ an. 298. PL. It. Altmanni Episc. Passav. Gotvigii in Austria a. 1191.
d 9 Vigilia sine jejunio.

e 10 Laurentii Archi-Diac. in craticula ferrea assati an. 281. PL.
f 11 Tiburtii M. Rom. a. 286. It. Susannæ V. & M. Rom. a. 294. It. Alexandri Carbonarii Episc. & M. Comanæ in Ponto a. 253.
g 12 Claræ V. primæ ex Ord. S. Francisci Assisii in Umbria a. 1253. It. Procarii Abb Lyrinens. cum 500 Monachis pro fide occisi a. 453. PL.
A 13 Hypoliti M. a. 261. It. Cassiani M. à pueris quos instituerat Martyrio affect. apud forum Silæ a. 340. It. Bernardi Conf. S. O. C.
b 14 Vigilia & Jejun. It. in Hybernia 40 MM. S. O. C. ab Hæret. occis. qui reassumptis capitibus Vesperas B. V. dulci sonô decantârunt.
c 15 Assumptio S. Dei Genitricis Virg. Mariæ a. 48. Item Stanislai Kostkæ, Clerici Religiosi ex Soc. JEsu Rom. 1568. PL.
d 16 Hyacinthi Conf. Ord. Prædicat. Cracoviæ in Polonia a. 1257. St. Item Rochi Conf. in Gall. qui multas Italiæ urbes à morbo Epidemiæ liberavit a. 1237. Item Serenæ Uxoris Diocletiani Imp. Rom. a. 295.
e 17 Adolphi Episc. S. O. Cist.
f 18 Agapiti 15 annor. pueri M. Præneste a. 275. It. Helenæ Matris Constantini Magni Rom. 326. Item Cornelii M. S. O. C. St.
g 19 Julii Senatoris Romani M. Rom. an. 192. Item Sebaldi Conf. It. secundum Martyrium Thomæ Cantuarien. Archi-Episc. S. O. C. cujus S Ossa per Edictum Henrici impii Regis Angliæ publice combusta sunt.

A 20

A 20 Bernardi I. Abb. Claravallenſ. Eccl. Doct. melliflui Sac. Ord. Ciſt. Propagatoris mirifici, & inter Sanctos Thaumaturgi maximi. Fundavit Monaſteria 80. ex quibus in vita 160. propag. ſunt, obiit a. 1153. æt. 65. Aug. 20. reliquit in Claravalle Fratres Domino ſerv 770. In Eccl. Ciſt. PL. It. Samuelis Proph. in Judæa. It. Stephani Regis, qui primus Hungaros ad Chriſtum convertit. Albæ in Pannonia a. 1039.

b 21 Humbelinæ Abbat. Fundat. Ord. Ciſt. Monial. & Sororis S. Bernardi.

c 22 Fabriciani & Philiberti MM. Toleti in Hiſp. PL. It. Lamberti Abb. S. O. C.

d 23 Vigil. ſine Jejun. Item Philippi Benitii Fundat. Ord. Servitarum.

e 24 Bartholomæi Ap. qui in India Chriſti Ev. prædic. ubi à Barbaris decoriat. eſt a. 46. PL.

f 25 Ludovici Regis Francorum a. 1270. Item Arnoldi Conf. S. O. C.

g 26 Zephirini Pap. & M. Rom. a. 221. Item Balduini Conf. S. O. C.

A 27 Euthaliæ V. in Sicilia à Fratre Sermiliano occiſæ a. 253. It. Alexandri III. Pap. S. O. C.

b 28 Auguſtini Epiſc. Hipponenſis in Africa Doct. & Fundat. Ord. Auguſt. a. 430. PL.

c 29 Decollatio S. Joannis Baptiſt. Hieroſ. a. 31. PL. Item Aleydis V. Regis Polon. Caſimiri Filiæ Trebnitii. Item Sabinæ Matronæ Romæ an. 432.

d 30 Felicis Presbyr. & Adaucti M. Rom. a. 302. Item Eronis per 200 annos in extasi suspensi S. O. C.

e 31 Paulini Episc. Trevirens. & Conf. a. 359. Item in Scotia Passio 200 Monach. S. O. C. Sub Hennio VIII. & Elisabeth Reg.

SEPTEMBER.

f 1 Ægidii Abb. & Conf. in Provin. Narbon. a. 500. It. Annae Prophetis. quae temp. Praes. Christi venit in templum Jerosolim. a. 1.

g 2 Maximae M. Rom. a. 503. Item Margarithae Virg. S. Ord. Cist.

A 3 Serapiae V. & M. Rom. a. 122. It. Euphemiae Virg. S. O. C.

b 4 Moysis Legislatoris & Proph. in monte Nebo terrae Moab. Item Rosaliae Virg Panormit. cujus corpus hoc die divinitûs repertum a. 1600. Siciliam a peste liberavit. Item Friderici Episc. S. O. C.

c 5 Victorini Urbis Amitterinae Episc. & M. Romae a. 100. Item Romuli, aulae Trajani Praef. M. a. 108. Item Godefridi Abb. Sac. Ord. Cist.

d 6 Zachariae Proph. Item Joannis Archi-Ep. Sac. Ord. Cist.

e 7 Reginae V. & M. Aquilejae. Item Pamphili Episc. Capuae PL.

f 8 Nativitas B. semper Virg. Gen. Dei Mariae. PL. Item Hadriani M. Nicomed. a 302.

g 9 Dorothei, & Gorgonii M. Nicomed. a. 302.

A 10. Nicolai Tollentini Conf. Ord. Eremit. S. Auguſtin. a 1306.

b. 11. Theodoræ pœnitentis, Alexandriæ a. 480. Item Bœmundi Abb. Sac. Ord. Ciſt.

c. 12. Guidonis Coni. Anderl 2. 1112. It Walerani Abb. Sac. Ord. Ciſt.

d. 13. Maurilii Epiſc. innumeris miraculis clari, Andogavi in Gallia a. 394. Patroni Hortulanor.

e. 14. Exaltatio S. Crucis ab Heraclio Imp., e Perſide Hieroſolymam reportatæ a. 628. PL. It. Cypriani Epiſc. Carthagin. & M. a. 261. It. Materni Colonienſis & Trevirenſis Epiſcop. Diſcipuli S. Petri Ap. a. 46.

Dominica poſt Feſtum Nativitatis B. V. Mariæ celebratur Feſtum S. Nom: Mariæ inſtitu pro ætern. memoria a. SS. D Papa Innocentio X. ob partam in Auſtria ad Viennam de Turcis victoriam. a. 1683.

f. 15. Nicomedi Presbyt. & M. Romæ a. 69. It. Achardi Conf. Sac. Ord. Ciſt.

g. 16. Euphemiæ V. M. Chalcedone a. 311. Item. Milonis Abb. Sac. Ord. Ciſt.

A. 17. Impreſſio Sacror. Stygmatum in corpore S. Franciſci in monte Alvernia in Etruria a 1224. Item in Pruſſia in Monaſt. Olivenſi Paſſio Caſimiri Abb. & alior. Monachor. MM. S. O. C.

b. 18. Thomæ de Villa-nova, Ord. Eremit. S. Auguſt. Archi-Epiſc. Valentini Conf. dicti Eleemoſinarii a. SS. D. N. Alexandro VII. a. 1658. Novemb. 1. canonizati.

c. 19. Ianuarii Episc. Beneventi in Campania & M. a. 305. Item Sophiæ Abbat. S. O. C.

d, 20. Vig. Candidæ V. & M. Carthagine a. 302. It. Evstachii M. Patroni Venator. & Theopistæ Uxoris ejus, duorumque filiorum Agapii, & Theopisti MM. Romæ, a. 120. St.

e. 21. Mathæi Apost. & Evang. qui in Æthiopia Martyrium passus est. a. 41. It. Iphigeniæ Regiæ V. in Æthiopia à S. Mathæo Apost baptizatæ PL. It. Bonifacii totius S. O. C. Generalis. It. Martini Conf. Cardinalis S. O. C.

f. 22. Mauritii & Soc. MM. Legionis Thæbeorum, Soduni in Gall. a. 297. It. Othonis Ep. S. O. C.

g. 23. Lini Papæ & Martyr Romæ a. 80. It. Theclæ V. & M. a S. Paulo Apost ad fidem perductæ a 47. Item Ossecæ in Bohemia Passio plurimorum Monachorum S. O. C. qui ab Hussitis in Confessione fidei occisi sunt.

Æquinoctium autumnale.

A. 24. Gerardi Episc. & M. in Pannonia, Patricii Ven. Hung. Ap. a. 1047. It. Nicolai Epi. S. O. C.

b. 25. Cleophæ Christi Discipuli in Emaus, Mart. à Judæis occisi a. 34. It. Cæsarii Prioris Heist. S. O. C. It Balduini Conf. S. O. C.

c. 26. Cypriani & Justinæ V. & M. Nicom. a. 311.

d. 27. Cosmæ & Damiani Fratr. nobil. Medicorum & MM. Egeæ a 285. St. Item Joannæ Abb. S. O. C.

e. 28. Wenceslai Ducis Bohem. & M. a. 938. It. Laurentii Conf. S. O. C. ab Ang. Rosar. donati.

29.

f. 29. Michaëlis Archang. in monte Gargano, & OO. SS. Angelorum PL.

NB. Feſtum S. Angeli Cuſtodis ad Inſtant. Aug. Imp. Leopoldi I. à Clemente IX. pro omnib. Provinc. Auſt. approb. celeb. Dom. 1. Sept.

g. 30. Hieronymi Presbyt. & Eccl. Doct. in Bethlehem Judææ a. 420. Item Sophiæ Vid. Rom. Matris Sanct. Virg. Fidei, Spei, & Charitatis, MM. a. 122. Item Conradi Epiſc. & Card. S. O. C.

OCTOBER.

A. 1. Remigii Ep. qui Clodoveum Reg. cum gente Francorum convertit ad Chriſtum, Rhemis in Gallia a. 499. Item Franciſci Borgiæ e Soc. JEſu, Romæ a. 1572.

b. 2. Leodegarii Auguſtodunenſis Epiſc. in territ. Atrebatenſi c. 685. Item Urbani IV. Pontif. Max. S. O. C. qui ad inſtantiam Julianæ, Eliſabeth, Evæ, & aliarum Virg. S. O. C. Feſt. SS. Corporis Chriſti inſtituit.

c. 3. Gerardi Abb. in Belgio prope Namurcum a. 959. Item Theodorici Conf. S. O. C.

d. 4. Franciſci Fundat. Ord. Min. Aſſiſii in Umbria a. 1182. PL.

e. 5. Placidi Abb. Diſcip. S. Bened. & Fratr. ejus Eutichii, & Victoris, & Flaviæ Sororis Virg. aliorumque 30. Monachorum MM. a. 541.

f. 6. Brunonis Inſtitut. Ord. Carthuſ. a. 1101. Item Balduini Cardinal. S. O. C.

g. 7. Justinæ V. & M. Patavii a 60. Item Martini Conf. S. O. C.

A. 8. Brigittæ Viduæ ex Svecia, Romæ a. 1373. Item Beatricis V. Fundat. Ord. Immaculatæ Concept. S. O. C.

b. 9. Dionisii Areopagitæ à S. Paulo baptizati, primo Atheniensium, deinde Parisiorum Episc. & M. a. 98. Item Gerardi Abb. Fund. Monast. de nova valle in Svecia S. O. C.

c. 10. Gereonis M. cum aliis 318. Colon. a. 175. Item Hugonis Episc. S. O. C.

d. 11. Gummari Conf. Lyræ in Belgio a. 775. Item Roderici Confl. S. O. C.

e. 12. Maximiliani Ep. Laureacensis in Sup. Aust.

f. 13. Florentii M. Tessalonicæ a. 1012. It. Colomanni M. in Monast. Melicensi Austr. Inf. Item Mauritii Abb. S. O. C.

g. 14. Calisti Papæ & M. Romæ a. 226. Item Gaufridi Episc. S. O. C.

A. 15. Hedvvigis Ducissæ Patronæ Silesiæ, Fund. Monast. Trebnic. S. O. C. a. 1243. It. Theresiæ V. Ord. Carmelit. Matris & Magistræ.

b. 16. Galli Abb. apud Arbonam in Germ. a. 640.

c. 17. Heronis Episc. Antioch. Disc. S. Ignatii M. a. 131. Item Gilberti Mag. Abb. S. O. C.

d. 18. Lucæ Evang qui in Bithinia obiit a. 59. ac tandem in Pataviam translatus PL. Item in Monasterio Affligemiensi Statua Beat. Virg. Mariæ salutat clara voce S. Bernardum: Salve Bernarde.

e. 19. Ptolomæi & Lucii MM. Romæ a. 164. Item Elisabethæ V. S. O. C.
f. 20. Caprasii M. Agenni in Gallia a. 303. Item Jordani Conf. S. O. C.
g. 21. Ursulæ cum 11000. VV. & MM. Coloniæ. a. 383. Item Bertholdi Episc. & M. S. O. C.
A. 22. Cordulæ V. & M. a. 383. Item Mariæ Salomæ, quæ Dominicæ adfuit Sepulturæ. Item Wigandi Prioris Waldsassens. S. O. C.
b. 23. Severini Episc. Coloniens. a. 400.
c. 24. Procli Episc. Constantinop. a. 834. Item Mansueti Conf. S. O. C.
d. 25. Chrysanthi & Dariæ Uxoris ejus M. Romæ a. 284. Item Crispini & Crispiniani, nobilium Roman. Martyrum, qui suessione in Gallia passi, postea Romam translati sunt a. 303. Item Gaudentii Ep. Brixinensis a 316.
e. 26. Evaristi Papæ & M. Romæ.
f. 27. Vigil. Item Mefridi Conf. S. O. C.
g. 28. Simonis Chananæi, & Judæ Thaddæi Ap. quorum ille in Ægypto, iste in Mesopotamia Evangel. prædicarunt, deinde Persidem simul ingressi Martyrium consummarunt a. 78. PL.
A. 29. Narcissi Episc. Hierosolym. 116. annor a. 300. It. Petri Abb. S. O. C.
b. 30. Serapionis Episc. Antiochiæ a. 191. Item Rayneri Conf. S. O. C.
c. 31. Vigil. & Jejun. It. Wolffgangi Ep. Ratisbonen. It. Ladislai Conv. S. O. C. ex cujus Sepulchro arbor nobilis. excrevit cum Inscriptione in Foliis: Maria:

NOVEMBER.

d. 1. Festivitas omnium Sanctorum PL.

e. 2. Commemoratio OO. Fidelium defunct. PL. Item In Monasterio Grumensi in Silesia Passio plur. Monachor. S. O. C ab Hussitis occisor.

f. 3 Malachiæ Episc. Connerthensis in Hybernia S. O. C. in Monast Clarav. depositi a. 1188.

g. 4. Vitalis & Agricolæ MM. Bononiæ a. 303. Item Caroli Boromæi Cardin. Ep. Mediolan. Item Emerici Conf. Filii S. Stephani Hungar. Reg. apud Albam Regalem a. 1030.

A. 5. Zachariæ Sacerdotis & Prophetæ Patris S. Joannis Baptistæ. Item Elisabeth ejusdem S. Præcursoris Matris. It. Udardi Episc. S. O. C.

b. 6 Leonardi Solitarii, cujus virtus præcipue in liberandis captivis enituit a 559. Item Simonis Conf. S. O. C.

c. 7. Engelberti Episc. Colonien. & M. S. O. C. a. 1225. Item Willibrodi Episc. Trajectens. a. 741.

d. 8. Quatuor Coronatorum Fratr. Severi, Severiani, Carpophori, & Victorini MM. Romæ a. 303.

Dominicâ post Octav. OO SS. Festum S. Mariæ de Victoria a Pio V. & Gregorio XIII. ob insignem victoriam Christianorum a Turcis reportatam institutum. Ind. congreg. Raud.

e. 9. Dedicatio Basilicæ Salvat. Romæ a. 312. PL.

f. 10. Triphonis, Respicii, & Nymphæ V. & M. apud Nicæam. a. 254. It. Andreæ Abb. S.O.C.

g. 11. Martini Episc. & Conf. Turonis in Gallia a. 402

A. 12. Martini Papæ & M. Romæ a. 654 St. Item Didaci Conf. Ord. Min. Compluti in Hispan. a. 1463.

b. 13. Festum OO. Sanctorum Monachorum S. O. Bened. & Cisterc. PL.

c. 14. Serapionis Martyr. Alexandr. a. 285. Item Eugenii Abb. & M. S. O. C.

d. 15. Eugenii Episc. Toletani & M. a. 70. Item Leopoldi Marchionis Austriæ a. 1131.

e. 16. Edmundi Archi-Episc. Cantuariens. S. O. C. in Anglia a. 1246. Item Othmari Abb. in Suevia. a. 759.

f. 17. Gregorii Episc. Neocæsariens. in Ponto, qui ob multitudinem miraculorum dict. Thaum. circa. a. 266.

g. 18. Dedicatio Basilicar. SS. Apost. Petri & Pauli Romæ a. 324. PL. It. Richardi Abb. S. O. C.

A. 19. Odonis Abb. Cluniacens. a. 941. Item Elisabeth Viduæ, Landgraviæ Thuringiæ, Reg. Hungaror. Filiæ c. 1131.

b. 20. Edmundi Reg. & M. in Anglia a. 870. Item Bertrandi Abb. S. O. C.

c. 21. Præsentatio B. DEI Genit. Mariæ Hierosol. in Templo PL. Item Alberti Episc. Leodiensis, pro tuenda libertate Ecclesiast. necati Rhemis a. 1191.

d. 22. Cæciliæ V. & M. quæ Sponsum suum Valerianum, & Fratrem ejus Tiburtium MM. perduxit ad Christum Romæ a. 232. PL.

Item Alphonſi Henriquez I. Regis Portugalliæ & Inſtitut. Ord. Equeſtr de Ala S. O. C.

e. 23. Clementis Papæ III. poſt S. Petrum, & M. Romæ a. 102. PL. Item Guillelmi Epiſc. Pariſienſ. S. O. C.

f. 24. Chryſogoni M. Aquilejæ a. 303. Item Antoniæ V. S. O. C.

g. 25. Catharinæ V. & M. Alexandrinæ Sapientiâ & Sanctitate celeberrimæ in montem Synai ab Angelis mirabiliter deportatæ a. 307. St.

A. 26. Conradi Epiſc. Cónſtantien. a. 976. Item plur. MM. Equeſtr. Ord. S. O. C. de Calatrava, Alcantara, Aviſo, Chriſto, & Monteſia in Hiſpania.

b. 27. Barlaam & Joſaphat apud Indos a. 383. It. Faſtradi Abb. S. O. C.

c. 28. Rufi, quem cum omni familia ſua Diocletianus Martyrem fecit, Romæ a. 303.

d. 29. Vigil. Item Saturnini M. Romæ a. 303.

e. 30. Andreæ Apoſt. apud Patras Achajæ, poſtquam in Thracia & Scythia Evang. prædicârat, in Cruce ſuſpenſi a 69. PL. Item Ruffini Abb. & Generalis S. O. C.

NB. Diebus Mercurii, & Veneris jejunium Eccleſiaſticum per totum Adventum.

DECEMBER.

f. 1. Nahum Prophetæ in Begabar quieſcentis. Item Eligii Epiſc. Noviomi in Belgio a 631. Item Hugonis Cardinal. S. O. C.

f. 2. Bibianæ V. & M. Romæ a. 362. Item Francisci Xaverii Soc. JEſu Indiar. Apoſt, obiit in Sancano Sinarum Inſula a. 1552. ſepult. Goæ. Item Mechtildis V. S. O. C.

A. 3 Sophoniæ Proph. in Judæa. Item Lucii Britannorum Regis M. qui primus ex illis Regionibus Chriſti fidem ſuſcepit a. 383. Item Galgani Eremit. S. O. C.

b. 4. Barbaræ V. & M. celeberrimæ Nicomediæ a. 273. It. Chriſtiani Epiſc. S. O. C.

c. 5. Sabæ Abb. in Cappadocia a. 531. St. Item Godefridi Epiſc. S. O. C.

d. 6. Nicolai Myræ in Lycia Epiſc. a. 343. PL.

e. 7 Ambroſii Epiſc. Mediolan. & Eccl. Doct. a. 397. PL.

f. 8. Conceptio Immaculatæ glorioſæ Genitricis DEI Mariæ. Feſtum Principale Sodalit. Raud. & PL. Indulg.

g. 9. Leucadiæ V. & M. Toleti in Hiſpan. a. 303. Item Bartholomæi Fratris Germani S. Bernardi S. O. C.

A. 10. Eulaliæ V. quæ ætatis anno 12. per plurima tormenta Martyrii coronam adepta eſt. Emeritæ in Hiſp. a. 303. It. Florentii Abb. S. O. C.

b. 11. Damaſi Papæ & Conſ. Romæ a. 384. Item Idæ V. S. O. C.

c. 12. Syneſii M. Romæ a. 275. Item Bernardi Trejur. M. S. O. C.

d. 13. Luciæ V. & M. Illuſtriſſimæ, Syracuſæ in Sicilia a. 303. Item Othiliæ V. in Territorio

Argentoratensi, Patronæ in dolorib. oculor. circa an. 700.

e. 14. Spiridionis Episc. & Conf. Patroni Opilionum in Cypro a. 347. Item Nicasii Episc. Patroni contra mures & similia.

f. 15. Valeriani Episc. & Conf. in Africa a. 456. Item Bonaventuræ Episc. S. O. C.

g. 16. Ananiæ, Azariæ, & Misaëlis trium puer. qui apud Babyloniam in incensa fornace manserunt illæsi. It. Gregorii VIII. Rom. Pontif. S. O. C.

A. 17. Lazari, quem Christus a mortuis suscitavit, postea Episc Massiliens. in Gallia. a. 35. Item Lamberti Conf. S. O. C.

b. 18. Auxentii Episc. & Conf. Mobsvestiæ in Cilicia a. 316. Item Gratiani primi Episc. Turonensis a. 251. Item Guillelmi Archi-Episc. Eboracensis S. O. C.

c. 19. Nemesii M. Alexandrini a. 253. Item Adjuti Patroni Vinipolar. Item Joannis Conf. S. O. C.

d. 20. Vigil. Item Philogoni ex Causidico Episc. Antiochiæ, qui inter primos pro Fide Cathol. adversus Arium egregie decertavit. a. 340. Item Mariæ V. Sac. Ord. Cist.

e. 21. Thomæ Apost. qui Parthis, Mædis, Persis, Hyrcanis, ac tandem Indis Evangelium præd. ubi Calaminæ lanceis transfixus occub. a. 78. St. It. Joannis Conversi, S. O. C. ex cujus ore post mort. candidiss. excrevit lilium, in cujus foliis litt. aureis script. legebatur Ave Maria.

f. 22.

f, 22. Zenonis militis M. Nicomediæ a. 302. It. Roberti Episc. Sac. Ord. Cist.

Solstitium Hyemale.

g. 23. Victoriæ V. & M. Romæ a. 253.
A. 24. Vigilia Nativitatis D. N. J. C. Jejun. PL.
b. 25. Nativitas D. N. JEsu Christi secundum carnem ex Maria V. in Bethlehem Judæ, quæ S. Bernardo adhuc parvulo, ipsâ horâ quâ Verbum Caro factum est, claruit. pL.
c. 26. Stephani Proto-Martyris a Judæis Hierosolymis non longe post Ascens. Domini lapidati a. 34. PL. It. Danielis C. Villar. Celarii S. O. C.
d. 27. Joannis Apost. & Ev. apud Ephesum a. 101. PL. It. Joannis & Soc. MM. S. O. C. in Ind. Or.
e. 28. Innocentium puerorum, qui in Bethlehem Judæ ab Herode pro Christo interf. sunt a. 1. PL.
f. 29. Thomæ Archi-Episc. Cantuar. M. a. 1163. S. O. C. It. David Regis & Prophetæ Hierosol.
g. 30. Sabini Episc. & M. Spoleti a. 301. It. Alberti I. Abb. Mon. de Porta in Saxon S. O. C.
A. 31. Silvestri Papæ, qui magnum Constantinum baptizavit Romæ a. 335. It. Columbæ V. & M. apud Senonas a. 275. St. Item Remigii Conv. Sac. Ord. Cist.

BE-

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Cum ſicut accepimus in Eccleſia Monaſterii Raudenſis Monachorum Ordinis Ciſtercienſis Wratislavienſis Diœceſis, una pia, & devota Chriſti Fidelium Iuvenum Studentium tantum Confraternitas ſeu Congregatio ſub Titulo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ canonice erecta, ſeu erigenda exiſtat, cujus Confratres quamplurima pietatis & Charitatis opera exercere conſueverunt ſeu intendunt.

Nos ut Confraternitas ſeu Congregatio hujusmodi majora indies ſuſcipiat incrementa, de Omnipotentis DEI miſericordia, ac Beat. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus Iuvenibus Studentibus tantum, qui dictam Confraternitatem ſeu Congregationem impoſterum ingredientur, die prima eorum ingreſſus, ſi vere pœnitentes & Confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint Plenariam; Ac tam deſcriptis, quam pro tempore deſcribendis in dicta Confraternitate ſeu Congregatione Confratribus in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi vere quoque pœnitentes & Confeſſi, ac ſacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti nomen IEſu ore ſi potuerint, ſin minus corde devote invocaverint, etiam Plenariam, nec non eiſdem nunc, & pro tempore exiſtentibus, dictæ Confraternitatis ſeu Congregationis Confratribus etiam vere pœnitentibus & Confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui præfatæ Confraternitatis ſeu Congregationis

nis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium die Festo Principali dictæ Confraternitatis seu Congregationis per eosdem Confratres semel tantum eligendo, & ab Ordinario approbando a primis vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum Concordia, hæresum exstirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad DEum preces effuderint Plenariam similiter omnium Peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis Confratribus etiam vere pænitentibus & confessis, ac sacra Communione refectis Ecclesiam seu Capellam, vel Oratorium hujusmodi in quatuor aliis anni feriatis vel non feriatis, seu Dominicis diebus per memoratos Confratres semel tantum etiam eligendis, & ab eodem Ordinario approbandis, ut supra visitantibus, & ibidem orantibus, quo die prædictorum id egerint, septem annos & totidem quadragenas: Quoties vero Missis, & aliis divinis officiis in Ecclesia, seu Capella, vel Oratorio hujusmodi pro tempore celebrandis, & recitandis, seu Congregationibus publicis vel privatis ejusdem Confraternitatis seu Congregationis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint: nec non etiam, qui corpora defunctorum tam Confratrum hujusmodi, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascunque Processiones de Licentia ordinarii faciendas, sanctissimumque Eucharistiæ Sacramentum tam in Processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicunque, & quomodocunque pro tempore deferetur,

Comi-

Comitati fuerint, vel si impediti campanæ ad id signo dato semel Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem, & Salutationem easdem pro animabus defunctorum Confratrum hujusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint & ignorantes præcepta DEI, & ea, quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum exercicio sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias dictis Confratribus præmissa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, præsentes nullæ sint, utque si dicta Confraternitas seu Congregatio alicui Archi-Confraternitati aggregata jam sit, vel imposterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituatur, priores, & quævis aliæ Litteræ Apostolicæ illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullæ sint. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVII. Novembris MDCC. XLVI. Pontificatus nostri Anno septimo.

B. Cardinalis Passioneus.

NB. Festum Principale hujus Confraternitatis est Festum Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ. Quatuor vero alii dies sunt: Festum Desponsationis B. V. Mariæ: Festum septem Dolorum B. V. Mariæ. Festum S. Annæ Matris B. V. Mariæ, & Festum B. V. Mariæ de Victoria.

BE-

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad Futuram Rei Memoriam.

OMnium Saluti Paterna Charitate intenti ſacra interdum Loca Spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animæ Domini noſtri IEſu Chriſti, ejuſdem ſanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adjutæ ex Purgatorii pœnis ad æternam ſalutem per Dei Miſericordiam perduci valeant. Volentes igitur Eccleſiam Monaſterii Raudenſis Monachorum Ordinis Ciſtercienſis Wratislavienſis Diæceſis, & in ea Situm Altare Confraternitatis ſeu Congregationis Chriſti Fidelium Iuvenum Studentium tantum ſub Titulo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, ſimili ad præſens Privilegio minime decoratum hoc ſpeciali dono illuſtrare, de Omnipotentis DEI Miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, ut quandocunque Sacerdos aliquis Sæcularis vel Regularis Miſſam defunctorum in die Commemorationis Defunctorum, & ſingulis diebus intra illius octavam, ac in una Feria cujuslibet Hebdomadæ per ordinarium deſignanda, pro anima cujuscunque Confratris dictæ Confraternitatis ſeu Congregationis, quæ DEO in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ permodum ſufragii Indulgentiam conſequatur, ita ut ejuſdem Domini noſtri IESU Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus a Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus.

gemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Præsentibus ad septennium tantum valituris. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVII. Novembris. MDCC. XLVI. Pontificatus nostri Anno septimo.

Gratis pro DEO & Scriptura.

B. Cardinalis Passioneus.

NB. Feria illa una in Hebdomada, est dies Sabbati.

Wratislavien. Decretum.

SAnctissimus Dominus noster Benedictus PP. XIV. clementer indulsit, ut omnes & singulæ Missæ, quæ diebus obitus & Depositionis cujuslibet Confratris Congregationis seu Confraternitatis Iuvenum Studentium sub Invocatione Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ Immaculatæ in Ecclesia Monasteriali Ordinis Cisterciensis Raudæ Diæcesis Wratislaviensis erecta pro illorum anima, quæ DEO in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad Altare Congregationis hujusmodi celebrabuntur, animæ ejusmodi, pro qua celebratæ fuerint, perinde suffragentur, acsi ad Altare privilegiatum celebratæ fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque. Præsenti ad septennium tantum valituro. Voluitque Sanctitas sua hanc gratiam suffragari absque ulla brevis expeditione. Datum Romæ die XXVIII. Novembris Anno MDCC. XLVI.

A. M. Erba Proto-Notarius Apostolicus Sac. Cong. Indulgentiarum Secretarius.

Obli-

Obligatio vero Sodalium quotidiana eſt, ſub nullo tamen peccato. Orare mane ter Pater & Ave, ſemel Credo, & Salve Regina, pro Sodal. vivis. Veſperi vero ter pater & Ave & ſemel Pſalmum De profundis pro Sodalibus defunctis.

INSTITUTIO CHRISTIANA.

Symbolum Apoſtolorum.

CRedo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & terræ. Et in JEſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum: qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus: deſcendit ad inferos: tertia die reſurexit a mortuis: aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam. Amen.

Oratio Dominica.

PAter noſter, qui es in cœlis: ſanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos a malo. Amen,

Salutatio Angelica.

AVe Maria, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui JEsus. Sancta Maria, Mater DEI, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.

Decem DEI Præcepta, quæ in Decalogo continentur.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Egypti de domo servitutis.

1. Non habebis Deos alienos coram me.
2. Non assumes nomen Domini DEI tui in vanum. Non enim habebit insontem Dominus, eum, qui assumpserit nomen Domini DEI sui frustra.
3. Memento ut diem Sabbathi sanctifices.
4. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.
5. Non occides.
6. Non Mæchaberis.
7. Non furtum facies.
8. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.
9. Non concupisces uxorem proximi tui.
10. Nec servum, nec ancillam, nec bovem, nec asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Septem Ecclesiæ Catholicæ Sacramenta.

Baptissimus, Confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium.

Vir-

Virtutes Theologicæ.

Fides, Spes, Charitas.

Virtutes Cardinales.

Prudentia, Temperantia, Justitia, & Fortitudo.

Dona Spiritus Sancti.

Sapientia, Intellectus, Consilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, & Timor Domini.

Fructus Spiritus Sancti.

Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansvetudo, Fides, Modestia, Continentia, & Castitas.

Præcepta Charitatis.

Diliges Dominum DEum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua,

Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Præcepta Ecclesiæ.

Statutos Ecclesiæ Festos dies ab operibus servilibus abstinendo celebrare.

Sacrum Missæ officium diebus Festis reverenter audire.

Quadragesima, Quatuor anni temporibus, & Vigiliis secundum morem Ecclesiæ jejunare, feria sexta & Sabbatho a carnibus abstinere.

Peccata sua proprio Parocho, aut alteri de ejus licentia semel in anno confiteri, & sacrosanctam Eucharistiam circa Festum Paschæ sumere.

Diebus ab Ecclesia interdictis nuptias non celebrare.

Opera Misericordiæ Spiritualia.

Docere ignorantem: corrigere peccantem: consilio juvare indigentem, consolari afflictum: ferre patienter injurias: remittere offensam: orare pro vivis & defunctis, & pro persequentebus se.

Temporalia.

Pascere esurientem. Potare sitientem. Colligere hospitem. Operire nudum. Visitare infirmum & in carcere detentum. Redimere captivum. Sepelire mortuum.

Beatitudines.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.
Beati mites, quoniam ipsi posidebunt terram.
Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.
Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.
Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.
Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt
Beati pacifici, quoniam filii DEI vocabuntur.
Beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.

Quinque Sensus Corporis.

Visus, Auditus, Odoratus, Gustus, & Tactus.

Septem Peccata Capitalia.

Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira & Acedia.

Quatuor novissima memoranda.

Mors, Iudicium extremum, Infernus, & Regnum cœlorum.

EXERCITIUM MATUTINUM.

IN *IEſum & Mariam primos oculos ſomno evoluto Sodalis aperiat, acſi præſentes & ſuo lecto adſtantes conſpiceret: Proinde prima ſit reſpiratio;* IESUS, MARIA, IOSEPH. *Deinde paulo ſibi factus præſentior dicat:* O! IEſu, & Maria, & IOſeph, mei dulciſſimi amores dono vobis cor, & animam meam: totus ſim veſter, nullus meus in æternum. O! IEſu candor lucis æternæ, DEus, DEus meus ad te de luce vigilo. Anima mea deſideravit te in nocte. Paratum cor meum DEus, paratum cor meum. O! Domine quia ego Servus tuus, & mancipium Ancillæ tuæ Mariæ.

E lecto ſurgens, ſeque muniens ſigno S. Crucis dicat:

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Am.

IN Nomini Domini mei IEſu Chriſti crucifixi ſurgo, ille me cuſtodiat, benedicat, regat, & ad vitam perducat æternam, Amen. *Tandem pollice dextro exaret in fronte, ore, & corde crucem dicendo:* IEſus, Maria, Ioſeph ſit in fronte. IEſus Maria, Ioſeph ſit in ore, IEſus, Maria, Ioſeph ſit in corde. *In fronte itidem has litteras:* I. N. R. I. *Tandem in corde formet crucem & dicat:* Per Sanctam & Immaculatam Conceptionem tuam


purissima Virgo Maria, emunda cor, carnem, & animam meam, in Nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Curandum postea diligenter, ne ulla negotia peragas antequam mentem ad DEum, tanquam primum principium & ultimum finem eleves, ac SS. Trinitati debitum reddas homagium. Adeoque cum summa humilitate & reverentia in genua procidendo, intuere quasi cælum apertum, & innumera millia Angelorum continuo clamantium & psallentium sacrum illud Trisagion, cum quibus magna animi alacritate clama amoroso affectu: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEus Sabaoth, pleni sunt cœli & terra gloria tua.

Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa Unitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Benedictus sit DEus Pater, qui me creavit, & conservat; Unigenitusque DEI Filius, qui me redemit, Sanctus quoque Spiritus, qui sanctificavit me. Gloria Patri, qui me sustentat per suam potentiam; gloria Filio, qui me gubernat per suam sapientiam: gloria Spiritui Sancto, qui me sanctificat per suum amorem. Benedicta sit Sancta & individua Trinitas ab omnibus Angelis & Sanctis, & ab omnibus creaturis nunc & semper, & in sæcula sæculorum; Regi sæculorum immortali & in visibili soli DEO honor & gloria.

STUM PRÆSENTATIONIS B.mæ V. MARIÆ.

Holocaustum matutinum. 4. Reg. 16.



Ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Matth. 7.

C. P. S. C. M. *Klauber Cath. Sc. et exc. A. V.*

Adoro, laudo, & ſaluto te dulciſſimum & vernans Cor IEſu Chriſti, & ex totis viribus cordis mei ago tibi gratias, quod me hac nocte cuſtodieris, Deoque Patri pro me laudes & gratiarum actiones perſolveris.

Immortales etiam vobis gratias ago SS. Virgo Maria, & Sancti Patroni mei pro ſpeciali tutela, mihi & omnibus in toto mundo hominibus hac nocte exhibita: benedicant & collaudent vos omnes omnium anhelitus & reſpiria, pſallat cor meum vobis gratiarum Canticum, ut ſemper, præſertim in agone meo a vobis adjuvari merear.

Dum ſurgis adverte, num Diabolus te ſomno aliquo laſcivo, aut motu quopiam ſenſuali ex tua occaſione contaminare conatus ſit, quod ſi factum fuerit, amaritudinem & dolorem aſſume, dicendo:

O: Domine Iuſtitiæ, & DEus Clementiæ: en deteſtabilis peccator, omnia ſcelera, & fœtores peccatorum meorum in immenſum ignem amoris tui projicio: in ſanguinolentis tuis vulneribus IEſu Crucifixe ea abſcondo: in abyſſum miſericordiarum ea immergo: veniam da obſecro, cunctis imperfectionibus meis. Domine mi IEſu ablue me pretioſo ſanguine, da, ut non amplius offendam te. O! Maria peccatorum Advocata & Refugium, obſecro te per IEſum: O! IEſu obſecro te per Mariam, miſerere, & ignoſce. Adgeniculor vobis, & a tribunali Iuſtitiæ ad tribunal Miſericordiæ apello, malo mori

 millies,

millies, quam aliquando peccare. Sic me JEſus, ſic Maria adjuvet.

Deinde petat Benedictionem.

BEnedic mihi hodie & quotidie Sancta & individua Trinitas. Benedic mihi ineffabilis Potentia Patris. Benedicite mihi manus, Cor dulciſſimum cum Filio Virginis Matris. Benedicat mihi virtus Spiritus Sancti. Anima Virginis Mariæ lucidiſſima illumina me. Corpus Virginis Immaculatiſſimum cuſtodi me. Lac Virginis nitidiſſimum Mariæ paſce me. Fletus Virginis Mariæ in paſſione Chriſti confirma me. O! dulciſſima Parens, fons divinæ Pietatis & gratiæ, intercede pro me. O! Virgo Mater miſericordiæ impetra mihi, ut a Filio tuo præviſam hodie implere poſſim menſuram meritorum meorum: ut caſto ac humili corde & corpore Filio tuo, & tibi in omnibus actionibus meis ſervire & placere valeam.

Oratio Sodalitatis ad B. V. Mariam.

SAncta Maria Mater DEI & Virgo, ego N. te hodie in Dominam, Patronam, & Advocatam eligo, firmiterque ſtatuo ac propono me nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid unquam dicturum, aut facturum, neque permiſſurum, ut a meis ſubditis, aût a me aliquid contra tuum honorem unquam agatur. Obſecro te igitur ſuſcipe me in ſervum perpetuum, adſis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deſeras in hora mortis meæ, Amen.

Alia:

FESTUM B.^{mae} V. MARIÆ AD NIVES.



Dominus faciet nives. Zach. 10.

C.P.S.C.M. Göz et Klauber Cath. Sc. et exc. A.V.

Alia:

O! Domina mea Sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ, hodie, & quotidie, nunc, & in hora exitus mei, animam meam, & corpus meum tibi commendo: omnem spem, & consolationem meam, omnes angustias, & miserias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi comitto: ut per tuam sanctissimam Intercessionem, & per tua merita omnia mea dirigantur, & disponantur opera secundum tuam, tuique Filii voluntatem, Amen.

Vel:

O! Regina Virginum Maria, amantissima Mater mea, ecce benignissimus JEsus Filius tuus Virgo, Joannem Virginem, & me indignissimum, tibi Virgini moriens in Filium adoptavit: Obsecro te igitur per amorem, sanguinem, & mortem ejus, suscipe me in Filium: quia Filium tuum, & te toto corde diligo, atque eligo in Matrem, & si placet tibi, cum Bernardo, Bernardino, & Edmundo, tuo in Sponsam: æmulusque Puritatis tuæ, statuo potius mori, quam cogitatione, verbo, opere vel minimum inquinari. Te siquidem sequi cupio, & JEsum Agnum, quocunque ierit: & cum Angelo Custode puritatem servare Angelicam in æternum. Accipe igitur, serva, o! dulcissima Mater, cor, animam, & corpus meum, quæ tibi dico, & consecro in æternum, Amen.

Conceptio tua ſanet me.
Nativitas tua lætificet me.
Præſentatio tua animet me.
Annuntiatio tua gratia repleat me.
Viſitatio tua conſoletur me.
Dulcis fructus ventris tui nutriat me.
Purificatio tua mundet me.
Dolor tuus corroboret me.
Aſſumptio tua in cœlum perducat me.
Ut cum famulis tuis laudem te.
In ſæcula ſæculorum. Amen.

SAncte Michael Archangele, tuere me in prælio, ne peream in tremendo Judicio. Sancte Gabriel, S. Raphael, omnes Sancti Angeli & Archangeli DEI ſuccurrite mihi peccatori. Rogo vos cunctas virtutes cœlorum, ut nullus mihi inimicus nocere poſſit, nec in via, nec in aqua, nec in igne, nec in domo, nec dormiendo, nec vigilando, nec aliquid aliud faciendo. O! Crux Chriſti adjuva me †. O! Crux Chriſti ſalva me † O! Crux Chriſti libera me †. O! pretioſe ſanguis Chriſti ne permittas damnari, & perire me, O! purpurea vulnera Chriſti abſcondite me.

Oratio ad S. Angelum Cuſtodem.

ANgele DEI, qui Cuſtos es mei, me tibi commiſſum a teneris pietate ſuperna, hac die illumina, cuſtodi, rege, guberna, & ad vitam perducas æternam.

Vel:

Vel:

ANgele Sancte DEI sit tibi cura mei. O! Sancti, sanctæque DEI, omnes sancti Innocentes, SS. Patriarchæ & Prophetæ, SS. Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Sancti ad quorum Ecclesiam vivo. Sancti Angeli Custodes status & Officii mei, sancti veteris Testamenti orate pro me indignissimo peccatore.

Per merita sanctorum Patronorum meorum, per crucem & pretiosum Sanguinem Salvatoris mei JEsu Christi, per merita totius triumphantis & militantis Ecclesiæ, Sanste DEus, Sancte Fortis, Sancte & immortalis miserere mei. A subitanea & improvisa morte libera me Domine; a peccandi occasione, a carnis desideriis, a damnatione perpetua, a corde obstinato, & in peccatis obdurato, a Spiritu Superbiæ, ab omni prava Intentione: ab appetitu terrenæ consolationis, ab appetitu voluptatum temporalium: ab omni inani gloria: ab amaritudine, ira, & indignatione, a deliberato etiam veniali peccato libera me Domine.

Brevis Intentio Matutina.

Ex Rev. S. Gert. l. 4. c. 16.

DOmine DEus propter temetipsum mihi propono, hodie, & quotidie omnes meas internas, & externas actiones pure ad laudem tuam, & ad salutem universitatis perficere, tali intentione & modo, quem tu DEus meus ad-

in-

invenire & optare potes, & in unione illius amoris, quo Filius tuus de cœlo descendit, & omne opus humanæ Redemptionis, maxime tempore passionis suæ perfecit. Unde omnino abrenuntio omni merito, præmio, & gratiæ quæ per illa opera possem adipisci, ut possim tibi DEO meo laudem, & amoris exhibitionem offerre. Amen.

Pactum breve cum DEO.

DEUS omnipotens ex amore & desiderio te hac tota die laudandi, sanctifico, dico, & consecro tibi omnes pulsus, & motus cordis, & omnium arteriarum mearum: Hocque pactum tecum ineo, quod omnes eorum motus idem significent, quod hæc verba: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth. Quam significationem præfatis motibus inditam velim, adeo, quod a tua Majestate per eosdem idem intelligatur, quantum intelligitur per illud cœleste canticum a Seraphinis decantatum. Fiat, Fiat. Amen.

Actus Intentionis prolixior.

O! Ter magne DEUS, ex quo, per quem, & in quo sunt omnia, tu scis desiderium meum & gemitus meus a te non est absconditus, sed quia præsentis vitæ necessitates minus sinunt mentem indesinenter laudibus tuis intendere, hinc tale tecum Pactum mi Domine inire cupio.

Quoties hodie cœlum suspexero, toties cordialiter cupio videre & possidere te, dissolvi, & re-

requiescere in te, deficere a me, & transformari in te: toties intensissimo affectu cum sanctis Seraphinis volo exclamare: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth: Pleni sunt cœli & terra gloria tua.

Quoties de te cogitavero, dixero, audiero, toties offero tibi vitam, passionem, & sanguinem Domini nostri JESU Christi, Cor sanctissimæ Matris ipsius & meæ, incendia amoris omnium Angelorum, cineres, tormenta, sanguinem omnium Martyrum, suspiria, lacrymas, labores, affectus omnium Confessorum, lilia, rosas, corda omnium SS. Virginum.

Quoties pectus percussero, toties amore tui detestor & abominor omnia peccata mea, & aliorum commissa ab initio mundi: O: Si hodie committenda ubique impedire possem! O! si uni impetrare gratiam, ne te offendat.

Quoties librum, Rosarium, vel quampiam rem in manus accepero, toties quidquid boni habent omnes Bibliothecæ, omnes linguæ, calami, cogitationes omnes, totum tibi offero: toties vellem tuos dulcis JEsu Pedes amplecti, osculari, lambere.

Quoties signum Missæ, vel Elevationis SS. Hostiæ percepero, toties offero tibi omnia Missæ Sacrificia peracta, & ad finem mundi peragenda: toties omnes actus falsi cultus ab Ethnicis factos a malitia depuratos tibi offero.

Quoties Imaginem alicujus Sancti vel Sanctæ videro, toties pro omnibus naturæ, gratiæ &

glo-

gloriæ donis, Sanctorum præcipue, quorum hodie dies annua ingressus in cœlum agitur te laudo, & benedico: toties vellem Gloriam accidentalem Sanctis tuis omnibus, & lumen animabus Purgatorii impetrare.

Quoties ore vel corde dixero: Benedictus DEUS: toties supplere volo actus divinæ laudis, amoris, & adorationis, quos poterant per totam æternitatem exercete Apostatæ Angeli, & animæ damnatorum, aliæque creaturæ rationales possibiles.

Quoties hodie passus ambulando fecero, tot elicere desidero actus charitatis: quo appretio, æstimo, & prefero te DEum meum super omnia; ita ut secundo passu sit duplo, triplo, decuplo, centuplo, & millies millies ferventior & intensior actus charitatis meæ, quo magis appretiem, æstimem, & supperexaltem te DEum meum super omnia.

Insuper quoties cor meum; cor omnium animatorum movebitur, toties in omnibus cordibus replicari vellem, & illis te amare intensissime, quoties cadent guttæ roris, vel pluviæ, quoties cadent nives, vel folia decident, toties nomine omnium cælestium, terrestium & infernorum projicio & provolvo me ante te, in cœlo, Eucharistia, & ubique præsentem.

Et hæc omnia in unione mutui amoris SS. Trinitatis, in unione omnium altissimarum Intentionum ad gustum tibi dandum, & ad majorem gloriam tuam: In gratiarum actionem pro

omnibus

omnibus beneficiis mihi & toti mundo præstitis & præstandis. In satisfactionem pro omnibus peccatis meis. Ad solatium vivorum, præcipue N. & defunctorum suffragiis carentium, & pro quibus orare teneor. Per manus Beatissimæ Virginis Mariæ, per cor tuum O! JESU, & in corde tuo deposita, ac tecum mi JEsu, do, dono, & offero divinæ Majestati.

Modus offerendi efficacissimus.

Domine hoc opus offero tibi per unicum filium tuum, in virtute Spiritus sancti in laudem tuam æternam. Amen.

Ad aspersionem aquæ benedictæ.

Per aspersionem sanguinis tui JEsu Christe, & per virtutem passionis tuæ lava me ab omni macula, & munda me ab omni peccato in Nomine Patris &c.

Ad sonitum Horologii.

Ave Maria &c. Seu: Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

Vel:

Dulcissime JESU, quidquid hac hora feci, illud commendo divino cordi tuo emendandum, Deoque Patri ad laudem æternam offerrendum. Et quidquid hac sequente hora faciam, illud pure ad laudem DEI & salutem universitatis in unione Passionis tuæ perficiam.

EXERCITIUM
DE SACRO-SANCTO MISSÆ SACRIFICIO.

E*Undo ad Sacrum, cogita te velut ad montem Calvariæ ire, & quid ibi viſurus ſis, quantaque devotione adeſſe debeas: & intrando locum aſperge te aqua luſtrali & Contritionem excita. Tum primo: adora DEum fidei, ſpei, & charitatis actu, & intentionem renova dicendo:* Credo Domine, & in te ſpero, ac toto corde te diligo. *Secundo: conſidera dignitatem Sacrificii. Tertio: propone reverenter aſſiſtere. Dum Sacerdos parat neceſſaria Sacrificio, antequam incipiat, cogita Adventantes Angelos, ut honorent Sacrificium & confundere de tepore tuo.* Ad Confiteor *percurre peccata tua breviter, contritionem excita, & innova propoſitum emendationis. In cæteris attende ad verba, aut Roſarium, aut aliud pium lege ex libello.* In Offertorio *cogita, quæ habeas agenda illa die, & ea offer, ac ſancta deſideria tua recole, priſtinaque propoſita, atque omnia uni cum meritis JEſu Chriſti.* Ad ſurſum Corda *attende ad paſſionem Chriſti, eſt enim Memoriale illius, & in utroque* Memento *ora pro iis omnibus, quibus oportet, collocando eos in partibus Crucis.* Ad Elevationem *conſidera Chriſtum in Cruce, & adora: deinde cogita, quæ adverſa accidere poſſunt, & ad ea te reſigna. Conſidera poſt hæc beneficia DEI, & ad ſpiritualem Communionem te præpara, rogando Dominum, ut*

ad

ad te veniat, animam tuam purget ab his, & ab illis defectibus, eamque virtutibus exornet: denique quasi cum Sacerdote desiderio ardenti communica. Post Communionem *gratias age, & gratulare DEO de perfectionibus divinis. Iterum renova proposita, ac iterum agenda DEO offer, & in particulari certi vitii exstirpandi seu implantandæ virtutis, circa quæ examine particulari versaris.*

Visitando SS. Sacramentum.

Coram te O! sanctissimum Sacramentum cum summa reverentia procido, & cum omnibus Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus cumque omni militia cœlestis exercitus hymnum gloriæ tuæ concino: Centies millies laudetur sanctissimum Altaris Sacramentum. Credo mi JEsu firmissime, quod sub his speciebus tu Dominus meus & DEus meus contineatis. Innovo & offero tibi omnes affectus, & actus adorationis, salutationis & recognitionis hic elicitos & impensos: & non tantum hic, sed in omnibus Ecclesiis per totum mundum existentibus. Gratias tibi Domine pro thesauris omnibus beneficiorum, quos hic aliquando effudisti, & effundes, ago. Doleo de omnibus peccatis, & irreverentiis, quibus aliquando in hoc loco offensus es, & offenderis. Desidero, ut laus & gloria tua hic permaneat usque ad finem sæculi. O! si accendere tibi possem cor meum tanquam lampadem, ut hic ante te arderet continuo & totum consume-

retur. O! ſi continuo aſſiſtere poſſem tibi DEO meo hic præſenti. Quia autem mi Domine id præſtare non poſſum, ſaltem anticipato omnes affectus laudis, amoris, adorationis, ab omnibus Fidelibus hic tibi impendendos nunc approbo, tibi innovo, & repræſento. Vos vero ſancti Angeli, SS. Patroni ad quorum Eccleſiam vivo, & in, vel juxta quam ſepeliar, adorate, magnificate pro me Dominum meum hic præſentem, omni modo, omni tempore, in æternum.

Explicatio veſtitus Sacrificantis.

V*Oluit Chriſtus Sacrificium hoc in memoriam Paſſionis, & mortis ſuæ fieri, ſimulque per idem repræſentari Sacrificium illud cruentum, quod ipſe in Ara crucis Patri ſuo obtulit. Proinde veſtes Sacrificantis ad eandem paſſionem & mortem ſignificandam ab Eccleſia ordinatæ ſunt.*

1. Amictus ſeu Humerale ſignificat pannum ſeu velamen illud, quo Chriſtum velaverunt, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum dicentes: Prophetiza, quis eſt, qui te percuſſit. *Luc.* 22.

2. Tunica linea, ſeu Alba, indicat veſtem illam, qua Herodes Chriſtum indutum cum exercitu ſuo illuſit, & remiſit ad Pilatum. *Luc.* 23.

3. Stola, manipulus, & Cingulum referunt funes & catenas, quibus Chriſtus toto corpore ligatus per Urbem Joroſolymam, tanquam homo nefarius, tractatus eſt. *Joann.* 18.

4. Ca-

4. Casula nobis vestem purpuream proponit, qua circumdederunt eum.

5. Tonsura in modum crucis Sacerdotis crinibus incisa, coronam spineam indicat, quam milites plectentes imposuerunt capiti ejus, & dicebant: Ave Rex Judæorum, & dabant ei alapas. *Joann.* 19.

6. Crux Casulæ inserta, illius nos Crucis admonet, quam Christus humeris suis portavit, & in qua JEsus emisit Spiritum. *Matth.* 27.

7. Altare, in quo nunc tanquam incruentum Sacrificium DEO Patri offertur, montem Calvariæ repræsentat, in quo olim Redemptor noster JEsus Christus seipsum cruentum fecit Sacrificium, quo Patrem suum damnato mundo redderet propitium.

8. Velum, & ea, quibus Calix involvitur, significant linteamina, quibus Christi corpus fuit involutum.

9. Cruces, quas Sacerdos crebro format, varios Christi cruciatus indicant.

Modus ministrandi, & respondendi Sacerdoti celebranti Missam.

Cum perventum fuerit ad Altare, Minister Biretum accipit a Sacerdote, & collocat in loco mundo, Missale vero ponit super Altare, & accendit candelas, nisi prius fuerint accensæ. Postea retro post Sacerdotem ad sinistram genuflexus, respondet eidem ut sequitur:

Sac. Iotroibo ad Altare DEI.

Min. Ad DEum qui lætificat Juventutem meam.

Sac. Judica me DEus, & discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo, & doloso erue me.

Min. Quia tu es DEus fortitudo mea,' quare me repulisti, & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus.

Sac. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

Min. Et introibo ad Altare DEI: ad DEum qui lætificat Juventutem meam.

Sac. Confitebor tibi in Cithara DEus DEus meus: quare tristis es anima mea, & quare conturbas me.

Min. Spera in DEO, quoniam adhud confitebor illi, salutare vultus mei & DEus meus.

Sac. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Min. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum Amen.

Sac. Introibo ad Altare DEI.

Min. Ad DEum qui lætificat Juventutem meam.

Sac. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

Min. Qui fecit cœlum & terram.

Sac. Confiteor DEO omnipotenti &c.

Min. Misereatur tui omnipotens DEus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam.

Sac. Amen.

Min,

Min. Confiteor DEO omnipotenti, Beatæ Mariæ ſemper Virgini, Beato Michaeli Archangelo, Beato Joanni Baptiſtæ, Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & (*aliquantum converſus ad Sacerdotem*:) tibi Pater: quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor Beatam Mariam ſemper Virginem, Beatum Michaelem Archangelum, Beatum Joannem Baptiſtam, ſanctos Apoſtolos, Petrum, & Paulum, omnes Sanctos, & (*aliquantum converſus ad Sacerdotem*:) tę Pater, orare pro me ad Dominum DEum noſtrum.

Sac. Miſereatur veſtri &c.

Min. Amen.

Sac. Indulgentiam, abſolutionem & remiſſionem peccatorum noſtrorum tribuat nobis omnipotens & miſericors Dominus.

Min. Amen.

Sac. DEus tu converſus vivificabis nos.

Min. Et plebs tua lætabitur in te:

Sac. Oſtende nobis miſericordiam tuam.

Min. Et ſalutare tuum da nobis.

Sac. Domine exaudi orationem meam.

Min. Et clamor meus ad te veniat.

Sac. Dominus vobiſcum.

Min. Et cum Spiritu tuo.

Sac. Kyrie eleiſon. *Min.* Kyrie eleiſon.

Sac. Kyrie eleiſon. *Min.* Chriſte eleiſon.

Sac. Chriſte eleiſon. *Min.* Chriſte eleiſon.

Sac. Kyrie eleiſon. *Min.* Kyrie eleiſon.

Sac. Kyrie eleiſon.

Sac. *Si dicendum ſit:* Flectamus genua.

Min. Levate.

Sac. Dominus vobiſcum.

Min. Et cum Spiritu tuo.

Sac. Per omnia ſæcula ſæculorum.

Min. Amen.

Min. In fine Epiſtolæ dicit: DEO gratias.

Quando leguntur plures Lectiones, poſt ſingulas dicitur: DEO gratias. *Lectis Graduali, Alleluja &c. Miniſter portat librum Miſſalis ad alteram partem Altaris in cornu Evangelii, & dum tranſit ante medium Altaris, caput cruci inclinat, & Miſſale ſic locat, ut poſterior pars libri reſpiciat ipſum cornu Altaris, & non ad parietem, ſive ad partem ejus contra ſe directam.*

Sac. Dominus vobiſcum.

Min. Et cum Spiritu tuo.

Sac. Initium (*vel*) Sequentia ſancti Evangelii &c.

Min. Gloria tibi Domine.

Miniſter finito Evangelio ſtans in cornu Epiſtolæ poſt infimum gradum Altaris reſpondet: Laus tibi Chriſte.

Sac. Dominus vobiſcum.

Min. Et cum Spiritu tuo.

Miniſter accipit ampullam vini, eamque porrigit Sacerdoti: tum eidem offert ampullam aquæ. Mox ponit manutergium ſuper Altare, & ſuppoſita pelvicula aquam fundit lavanti extremitates digitorum pollicis & indicis.

Sac.

Sac. Orate Fratres &c.

Min. Suſcipiat Dominus hóc Sacrificium de manibus tuis ad laudem & gloriam nominis ſui, ad utilitatem quoque noſtram, totiusque Eccleſiæ ſuæ ſanctæ.

Sac. Per omnia ſæcula ſæculorum.

Min. Amen.

Sac. Dominus vobiſcum.

Min. Et cum Spiritu tuo.

Sac. Surſum corda.

Min. Habemus ad Dominum.

Sac. Gratias agamus Domino DEO noſtro.

Min. Dignum & juſtum eſt.

Miniſter cum Sacerdos dicit: Sanctus. *Pulſat parvam campanulam.*

Dum Sacerdos elevat Hoſtiam, Miniſter manu ſiniſtra elevat Fimbrias poſteriores Planetæ, ne ipſum celebrantem impediant in Elevatione Brachiorum, quod & facit in Elevatione Calicis: & manu dextera pulſat campanulam ter ad unamquamque Elevationem, vel continuate quoaduſque Sacerdos deponat Hoſtiam ſuper Corporale, & ſimiliter poſtmodum ad Elevationem calicis.

Sac. Per omnia ſæcula ſæculorum.

Min. Amen.

Sac. Et ne nos inducas in tentationem.

Min. Sed libera nos a malo.

Sac. Per omnia ſæcula ſæculorum.

Min. Amen.

Sac. Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.

Min. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos cum ſumit Calicem, Miniſter accipit ampullas, & Sacerdoti Calicem ſuper Altare porrigenti parum vini infundit.

Sacerdos illa purificatione ſumpta abluit pollices & indices ſuper Calicem, Miniſtro vinum deſuper infundente. Ac tandem Miniſter librum Miſſalem defert ad Cornu Epiſtolæ, & collocat ut in Introitu: tum genuflectit juxta Cornu Evangelii, ut in principio Miſſæ.

Sac. Dominus vobiſcum.

Min. Et cum Spiritu tuo.

Sac. Per omnia ſæcula ſæculorum.

Min. Amen.

Sac. Ite Miſſa eſt. *vel* Benedicamus Domino.

Min. DEO gratias.

Vel Sacerdos dicit in Miſſis pro defunctis: Requieſcant in pace.

Min. Amen.

Sac. Benedicat vos omnipotens DEus, Pater, & Filius & Spiritus ſanctus.

Min. Amen.

Sac. Dominus vobiſcum.

Min. Et cum Spiritu tuo.

Sac. Initium *vel:* Sequentia ſancti Evangelii &c.

Min. Gloria tibi Domine.

Min. Finito Evangelio, ſtans a parte Epiſtolæ reſpondet: DEO gratias.

Et ſtatim accepto libro de Altari, porrigit Sacerdoti Biretum præcedens eundem procedentem ad Sacriſtiam.

Sancta MARIA Mater Dei Ora pro nobis peccatoribus
Nunc et in hora mortis nostræ, Amen.



C.P.S.C.M. Klauber Cath. Sc. et exc. A.V.

Modus SS. Missæ Sacrificium affectuose & fructuose audiendi.

Sacrificium Missæ est omnium actionum DEO acceptissimum, Angelis, ac Beatis gratissimum, hominibus ad impetrandum efficacissimum: Est enim valoris infiniti, & tanti, quanti fuit in cruce cruentum: Estque utrumque Sacrificium prorsus idem, tam ex parte rei oblatæ, quam ex parte principalis offerentis, qui est Christus. Huc ergo Sodalis omnes suas potentias colligat, & quanto abundantiorem Sacrificii fructum recipere cupit, tanto attentius ad actiones sacras, & omnia mysteria mentaliter recolenda applicet; fiet enim, ut tempore Sacrificii cum pia mysteriorum consideratione longe majores gratias a DEO impetret, quam si devotissimas Orationes huc minus pertinentes funderet.

Formula formandi Intentionem ante Sacrum audiendum.

Suscipe Sancta Trinitas unus DEUS hoc Sacro-Sanctum Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini nostri JEsu Christi, quod ego indignus Servulus tuus una cum Sacrificiis omnibus tibi unquam oblatis, aut offerendis, unitum sanctissimo Sacrificio ab eodem Domino nostro in ultima cœna & ara crucis oblato, per manus Sacerdotis offero divinæ Majestati tuæ, omni possibili pietatis affectu, ex puro amore tuæ infinitæ bonitatis, secundum Sanctissimam ejus-

ejusdem Domini nostri & S. Matris Ecclesiæ intentionem.

1. Ad maximam, æternamque divinæ Majestatis tuæ gloriam, amorem, beneplacitum.

2. In protestationem supremæ excellentiæ, & dominii tui, & nostræ subjectionis & dependentiæ a te.

3. In perpetuam commemorationem Passionis, ac mortis ejusdem Domini nostri.

4. In honorem, augmentumque gloriæ B. Virginis, totiusque Curiæ triumphantis.

5. In gratiarum actionem æternam pro omnibus beneficiis Sanctissimæ humanitati Domini nostri, B. Virgini Matri ejus, Patronis meis, omnibus Beatis, & prædestinatis, & mihi indignissimo hucusque collatis, & conferendis in æternum.

6. In satisfactionem peccatorum meorum, omniumque Fidelium vivorum & defunctorum.

7. Singulariter offero pro his NN. vel pro hac gratia obtinenda. Secundario pro his NN. mihi peculiariter commendatis, omnibusque pro quibus orare soleo, & teneor. Ad impetrandam defunctis requiem, vivisque gratiam te agnoscendi, amandi, glorificandi nunc perfecte in via, olim beate in patria. Suscipe & perfice hoc desiderium meum, uberemque ad id complectendum gratiam & benedictionem largire. Amen.

Oratio

Oratio ante Missam.

Clementissime Pater misericordiarum & DEus totius consolationis, qui sic mundum dilexisti, ut Filio tuo unigenito non parceres, sed eum in passione ac morte acerbissimæ crucis nostræ reparationi impenderes, quin etiam ejus oblationem tibi gratissimam ad renovandum illius in nobis fructum in Ecclesia tua quotidie renovari velles; tribue nobis, quæsumus, huic tam admirando & salutari, divinæ tuæ potentiæ, sapientiæ, ac bonitatis mysterio, tam attente, reverenter, & devote interesse, ut cruenti illius Sacrificii participationem per hujus incruenti oblationem, quam efficacissime consequi valeamus. Amen.

Sacerdos cum Ministro procedit ad Altare.
Christus cum discipulis egreditur in montem Oliveti.

ORATIO.

O! Domine JEsu Christe, Fili DEI vivi, qui pro me misero peccatore tempore amarissimæ Passionis tuæ, timorem, angorem & angustiam sustinere dignatus es: tribue, ut omnes meas angustias & miserias ex amore tui, & in unione Passionis tuæ animo hilari & libenti sustineam, ut mihi proficiant in vitam æternam. Amen.

Sacerdos descendens ad infimum gradum Altaris recitat Introitum.

Christus

Christus procidens in terram orat ter Patrem pro transferendo a se Calice passionis.

ORATIO.

O! Domine JESU Christe Fili DEI vivi, qui in horto orans ab Angelo confortari voluisti: concede per merita orationis tuæ, ut dum preces meas ad te fundo, adsit mihi Angelus tuus, & confortet me, in necessitatibus meis. Amen.

Sacerdos profunde inclinans orat: Confiteor.
Christus procidens in faciem, sanguinem sudat.

ORATIO.

O! Domine JESU Christe, qui in horto ad Patrem tuum orans, factus in agonia sanguinem copiosum de toto sacratissimo Corpore tuo mirabiliter profudisti: præsta, quæso, ut dum preces ad te Dominum meum fundo, sanguinis loco, oculi mei ex amore tui uberem profundant fontem lacrymarum.

Sacerdos ascendens osculatur Altare.
Christus osculo a Juda traditur & ligatur.

ORATIO.

O! Domine JESU Christe, qui osculo Judæ Proditoris inimicis tradi voluisti: da mihi gratiam tuam, ut non tantum inimicis meis omnes offensas ex corde ignoscam, verum etiam eisdem officia charitatis ex animo præstem. Amen.

S. FRANCISCUS DE PAULA.
Ordin: Min: Institut:



Cùm transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te. Isaiæ 43. v. 2.

C. P. S. C. Maj. 573. M. Engelbrecht exc. A. V.

Sacerdos vadit ad cornu Epiſtolo.
Chriſtus primum ducitur ad Annam Pontificem.

ORATIO.

O! Domine JESU Chriſte, qui ab impia militum cohorte capi probroſe, & ligari voluiſti: rogo te, abſolve me ab omnibus vinculis peccatorum meorum, & conſtringe animam meam vinculis dilectionis tuæ, quibus cum omnibus potentiis ſuis ligata non tantum in minimam aliquam tui offenſam excurrat, ſed quiete, & dulciter in ſanctiſſimo tuo beneplacito conquieſcat. Amen.

Sacerdos legit Introitum.
Chriſtus ab Anna interrogatus de Diſcipulis, & doctrina ſua pugno in faciem a Miniſtro cæditur.

ORATIO.

O! Domine JESU Chriſte, qui tanquam homo maleficus comprehendi, & ad Annam hominem ſceleratum deduci voluiſti: tribue mihi gratiam tuam, ut nunquam a Spiritu nequam ſeduci, magis autem a Spiritu tuo ad te duci, & in omnibus ſanctiſſimam voluntatem tuam perficere merear. Amen.

Sacerdos redit ex cornu Epiſtolæ ad medium Altaris, & cum miniſtro alternatim dicit: Kyrie eleiſon.
Chriſtus ab Anna mittitur ad Caipham Pontificem, & Petrus ter Chriſtum negat.

ORATIO.

O! Domine IESU Chriſte, qui in domo Caiphæ ex terna Diſcipuli tui Petri negatione vehe-

vehementer contristatus es: Præserva me, & custodi gratia tua, ab omni mala & perversa societate, ne aliquando divinam tuam Majestatem peccato aliquo gravi offendam, neque unquam a te separer in æternum. Amen.

Sacerdos dicit: Gloria in Excelsis DEO.

Christus adjuratus a Caipha, fatetur se DEI filium, & ideo tanquam Blasphemus multa pati debet.

ORATIO.

O! Domine JESU Christe, in cujus Throni circuitu sacro quodam stante horrore perciti procidunt Angeli in facies suas: Dona mihi gratiam efficacem, ita amorem proprium mortificare, ut dum honor tuus tuendus est & cultus, virtusque exercenda, nullum humanum respectum æstimem aut timeam, sed etiam in arduis seposito omni proprio commodo gloriam tuam promoveam, hæcque sola sit finis actionum mearum. Amen.

Sacerdos dicit: Dominus vobiscum.

Christus Dominus respicit Petrum.

ORATIO.

O! Domine JESU Christe, qui te negantem Petrum oculis misericordiæ respexisti & gratiam pœnitentiæ tribuisti: Respice pariter vultu miserationis tuæ in peccatricem animam meam, eamque ab omni macula peccatorum abs terge, & tribue gratiam, ne unquam amplius te Dominum & DEum meum cogitatione, verbo, aut opere offendat, & seipsam inquinet. Amen.

Sacer-

Sacerdos legit Epiſtolam.

Chriſtus a Caipha ad Pilatum deducitur, ibique falſe accuſatur.

ORATIO.

O! Domine JESU Chriſte, Agne manſvetiſſime, & Innocentiæ exemplum, qui ad Pilatum ignominioſe deduci paſſus es, & innocenter accuſari: Protege me ab omni dolo & mala voluntate, ut me in omni humilitate, tanquam Matre virtutum contineam, & ſubinde etiam innocens ſilentium conſervem, & propter Juſtitiam tecum pati diſcam. Amen.

Sacerdos orat in medio Altaris: Munda cor meum.

Chriſtus a Pilato mittitur ad Herodem.

ORATIO.

O! Domine JESU Chriſte, qui coram Herode conſtitutus multas calumnias & injurias ſuſtinere, & nec verbo quidem te excuſare, aut defendere innocentiam tuam voluiſti: Da mihi gratiam tuam, ut linguas calumniatrices, & obloquentium famæ meæ ex amore tui ſuſtineam, & totam ſpem, & fiduciam meam in te unico collocem, & ſufficiet mihi, ſi tu reſpondeas pro me. Amen.

Sacerdos legit Evangelium, eoque lecto redit ad medium Altaris.

Chriſtus ab Herode, ejuſque exercitu pro ſtulto habetur, & ad Pilatum remittitur.

ORA-

ORATIO.

O! Domine JESU Chriſte, qui ab Herode illuſus, iterum ad Pilatum reduci voluiſti, & inter eos conciliare amicitiam. Da mihi gratiam intelligendi, quam vana & ſtulta ſit mundi Sapientia, qui infirma, humilia & ſtulta mundi eligis, ut confundas Sapientes: ſit mihi mundi contemptus antemurale virtutis, ut nihil in mundo æſtimem amplius, ſuper veram, quæ tecum eſt, amicitiam. Amen.

Sacerdos dicit: Credo.

Pilatus iterum conatur Chriſtum liberare: At Iudæi clamant; Tolle, tolle.

ORATIO.

O! Domine JESU Chriſte, qui ſine ulla, vel verbulo manifeſtata contradictione per tribunalia raptari, & circumduci voluiſti: ab horto ad Annam ut malefactor, ab Anna ad Caipham, ut arrogans, a Capiha ad Pilatum ut Blaſphemus, a Pilato ad Herodem ut Rex jocularis, ab Herode ad Pilatum ut ſtultus, a Pilato ad Calvariam ut latro: Da mihi gratiam, ut omnimodam judicii & voluntatis reſignationem, ac indifferentiam ad omnia adverſa, & ſanctiſſimæ voluntati tuæ conformem obtineam. Amen.

Sacerdos nudat Calicem.

Chriſtus ante flagellationem nudatur veſtibus ſuis.

ORATIO.

O! Domine JESU Chriſte, qui ante flagellationem veſtibus ſpoliatus denudari voluiſti:

da mihi gratiam, ut affectu erga omnes res exteriores, bona fortunæ & famæ expoliatus, exuam hominem veterem cum moribus & actibus suis, neutiquam appaream nudus gratia & operibus bonis in conspectu tuo. Amen.

Sacerdos statuit Calicem nudum ad cornu Epistolæ. Christus ad columnam alligatur, & flagellatur.

ORATIO.

O! Domine JEsu Christe, qui pro me misero peccatore ad Columnam nefarie alligatus, atrociter 6666. ictibus flagellari voluisti: Concede mihi gratiam, ut dum me pro meis excessibus ut amantissimus Pater castigas, disciplinam pro medicina ut Filius obediens corde devoto & humili suscipiam, neque amplius peccatis meis Majestatem tuam flagellem & offendam. Amen.

Sacerdos Palla cooperit Calicem. Christus spinis coronatur.

ORATIO.

O! Domine JEsu Christe, cujus venerandum caput corona spinea tam vehementer est compunctum, ut ex sanguine fluente, replerentur occuli tui obstruerentur aures, & barba tota decurrente sangnine deturparetur: humiliter supplico, aufer ab anima mea aculeum malæ conscientiæ, ut vera Pœnitentia compunctus, aliquando tecum merear coronari in cœlis. Amen.

Sacerdos lavat manus: iisque lotis ad populum dicit: Orate fratres.

Pilatus lavat manus, & sententiam mortis dicit in Christum Dominum.

ORATIO.

O! Domine JEsu Christe, contra quem Judex Pilatus licet nullam mortis causam invenerit, injustissimam tamen mortis sententiam tulit: Tribue mihi misero gratiam ita vivere, ut dum aliquando ante tremendum Tribunal tuum stetero, inimicus generis & salutis humanæ, nullam in me mortis æternæ & damnationis causam inveniat. Amen.

Sacerdos dicit Præfationem.

Christus Sanctus Sanctorum bajulans crucem educitur ad mortem.

ORATIO.

O! Domine JEsu Christe, qui amore salutis meæ ad tantam humilitatem & contemptum te inclinasti, ut sub ignominioso Crucis trunco tanquam malefactor, seductor populi, & insidiator Regni sacrilegis linguis proclamari volueris: Concede mihi gratiam tuam, ut si aliquando propter tuendum honorem tuum & virtutem fierem in similitudinem improperii, & in derisum, tu sis mea consolatio, & tibi modulo aliquo conformer, nec de alio unquam sinistre judicem. Amen.

Sacerdos facit Memoriam vivorum.

Christo

FESTUM MARIÆ DE ANGELIS, SEU PORTIUNCUL



C. P. S. C. M. Ios. et Ioa. Klauber Cath. Sc. et exc. A. V.

Christo Crucem bajulanti obviat sanctissima Mater Maria, & imponitur Simoni Cyrenæo.

Memento Domine per viscera Pietatis, tuæ omnium, pro quibus mori dignatus es, præcipue memor sis Ecclesiæ tuæ sanctæ, quam pretioso Sanguine redemisti, ejusque capitis summi Pontificis N. cum suo Clero, memento Imperatoris, Regum, Principum, Prælatorum, Pastorum, omniumque Statuum Ecclesiasticorum, Religiosorum, Sæcularium, eorumque præcipue, qui maxime possunt gloriæ tuæ, & Saluti animarum prodesse: Omnium, pro quibus singulariter orare teneor, Parentum, Fratrum, Sororum, Consanguineorum, Affinium, & Benefactorum meorum. Omnium, qui se mihi commendaverunt, qui me contristarunt, vel quos ego contristavi, offendi: scandalizavi verbo vel opere. Omnium, quibus fui gravamen, vel occasio peccandi. Omnium inimicorum meorum ad dimissionem. Omnium Infidelium & hæreticorum ad conversionem. Omnium agonizantium & improvise morientium. Omnium mihi commissorum in genere & in specie, & omnium pro quibus vis & scis me debere orare. Horum omnium miserere Pater misericordiarum, sicut, scis & vis gratiam iis concedens, ut tibi perfectissime placeant, te agnoscant, timeant, ament, glorificent cum eodem dilecto Filio tuo & Spiritu sancto, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos tenet manus ſuper Calicem, & ſignat Calicem & Hoſtiam.

Chriſto occurrit turba mulierum cum Veronica cum Sudario.

ORATIO.

O! Domine JEſu Chriſte, qui doloroſiſſimam Matrem tuam Mariam in occurſu vehementi dolore preſſam, cujus velut mare erat contritio, cum aliis Sanctis te ſequentibus mulieribus, benigne conſolatus es: Concede mihi in amantiſſimam Matrem meam, cui me illam in perpetuum Filium, ſervum, & mancipium devovi. Illa me in omnibus meis anguſtiis & neceſſitatibus conſoletur, nec me ab ejus & tuo amore, & ſervitio abducat, quidquid eſt, quod me temporaliter conſolari poteſt. Amen.

Sacerdos elevat S. Hoſtiam.

Chriſtus elevatur cum Cruce.

ORATIO.

Ave verum Corpus natum de Maria Virgine,
Vere paſſum, immolatum in Cruce pro homine,
Cujus Latus perforatum aquam fudit cum ſanguine.
Eſto nobis prægustatum mortis in examine,
O! JEſu! dulcis! O! JEſu pie! O! JEſu Fili Mariæ, tu nobis miſerere.

Ave nobiliſſimum Corpus, & pretioſiſſime ſanguis Domini mei JEſu Chriſti ſub hac panis ſpecie vere præſens, te adoro tali cultu, & adoratione, qua te novem Angelorum Chori, qua

totum

totum cœlum, & terra te colunt, & adorant, qua tuam divinitatem humanitas Christi adoravit. Assumo omnes omnium creaturarum affectus, iisque te nunc præsentem, & latentem adoro, colo, venerorque hancque adorationem in æternum continuo. O! si potestatem haberem, ut cœlum & terram, & infernum cum omni creatura tibi dulcissimo amatori cum omni reverentia inclinarem. Ne reminiscaris Domine peccata mea, neque fratrum, amicorum, & proximorum meorum in hoc mundo positorum, sed respice in faciem Christi tui te infinite per totum mundum, in tot locis, in Sacrificio Missæ honorantis, & colentis, eoque te infinite oblecta, & illam nobis tribue gratiam, ut peccatis liberati, nos quoque te bonis operibus semper & quam maxime oblectemus. Amen.

Sacerdos elevat S. Calicem.

Ex sacratissimis Christi vulneribus profluit sanguis.

ORATIO.

Salve nobilis & pretiose Sanguis de sacratissimis vulneribus Domini mei JEsu Christi profluens, & peccata totius mundi abluens; ablue, sanctifica, & custodi animam meam in vitam æternam. Amen. Sanguine tuo Christe JEsu a peccatis omnibus lava me, & concede, ut anima mea, cum a corpore migraverit, ante tribunal tuum appareat munda. O! bone JEsu, ne deseras me in suprema mortis hora, & lucta, a qua tota pendet æternitas. O! sacratissima

vulnera JEſu mei, ſuſcipite me, abluite me, ignefacite me. Immergo dulciſſime JEſu totum me tuo ſanguini, tuis vulneribus. O! JEſu! Amen.

Sacerdos facit Memento pro mortuis.

Chriſtus orat pro genere humano, & Chriſti veſtes a militibus dividuntur.

ORATIO.

Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum N. N. pro quibus primario hoc Sacrificium offero. Memento demum omnium mihi peculiariter commendatorum, eorum, pro quibus me vis potiſſimum orare, omniumque aliorum fidelium in Chriſto dormientium. Præcipue vero ſupplico tibi Deo meo pro Parentibus, propinquis, benefactoribus in ſpiritualibus & temporalibus, pro iis, qui in templo, vel cœmiterio quieſcunt, pro Clero ſæculari & Religioſo defuncto, pro Cultoribus Marianis & SS. Euchariſtiæ, & pro quibus me orare vult ac gaudet Deipara: Pro iis, qui pridem, & gravius Purgatorium patiuntur, & qui ſunt diu manſuri in Purgatorio. Supplico etiam mi DEus, pro omnibus inter infideles, ac Ethnicos, in gratia tua defunctis, fame, peſte, bello, ſubitanea morte ſublatis, pro pauperibus, & mortuis gentis, ac Regionis noſtræ. Horum omnium miſericordiſſime Pater miſerere per tuam infinitam Clementiam, per infinita Filii tui merita, per omnium Sanctorum Suffragia. Oſtende illis fa-

ciem tuam, ut te videant, ament, glorificent in cœlis, in quem crediderunt, & ſperaverunt in terris. Amen.

Sacerdos dicit: Nobis quoque &c.
Latro ad dexteram Chriſti convertitur.

ORATIO.

O! Domine JEſu Chriſte, qui Diſmam Latronem pœnitentem, & ad te converſum miſericorditer exaudiſti, & gloriam paradiſi benigniſſime promittere dignatus es: Dignare etiam humillimas preces meas exaudire, ut in ultimo agone meo hæc unice ſolatioſa verba tua audire & conſequi merear: Hodie mecum eris in Paradiſo. Amen.

Sacerdos dicit Orationem Dominicam.
Expenduntur VII. ultima verba Chriſti.

ORATIO.

O! Domine JEſu Chriſte, qui per ultima verba, quæ in Cruce pendens protuliſti, Matrem tuam amantiſſimam Joanni & Joannem Matri commendaſti: Me tibi ſimili amoris & devotionis nexu commendo, ut eorundem fultus in vita Præſidio, & Patrocinio, quæ ſunt ſaluti meæ utilia & neceſſaria eorum Interventu percipiam, & uſque in finem in amicitia Servus & Cliens perſeverem. Amen.

Sacerdos dividit Sacram Hoſtiam.
Chriſtus in Cruce moritur, & deſcendit ad inferos.

ORATIO.

O! Domine JEſu Chriſte, qui ex amore mei in Cruce mori dignatus es, & ad limbum ad eliberandos Patres deſcendere voluiſti: Adauge gratiam tuam, quæ & me mihi ſpiritualiter mori, tibique vivere, præſtet, & per virtutem Paſſionis, Sanguinis, & mortis tuæ animas e Purgatorio eliberet, ut eis lux perpetua luceat in æternum. Amen.

Sacerdos dicto Agnus DEI &c. genuflectit.

Centurio publice confitetur Chriſtum Filium DEI.

ORATIO.

O! Domine JEſu Chriſte, cujus divinitatem, innocentiſſimam Paſſionem, & ſanctiſſimam mortem cum plurimis percutientibus pectora ſua Centurio agnovit, & peccata ſua deflevit, tuuſque Diſcipulus factus eſt: Concede mihi per merita Paſſionis & mortis tuæ, ut cum Centurione amoroſe peccata mea defleam, & tecum in Cruce mortificationis continuo perſeverando nullo amplius peccato deliberato & voluntario te offendam. Amen.

Sacerdos ſumit Corpus & Sanguinem Chriſti.

Chriſtus de Cruce deponitur, & ſepelitur.

ORATIO.

O! Domine JEſu Chriſte, qui ex Cruce depoſitus, poſt mortem tuam in Sepulchro novo deponi voluiſti: Dona mihi totum cor novum, in quo dulciter requieſcas, quoaduſque tecum reſurgam ad gloriam æternam. Amen.

Sacer

Sac. post Purificationem mundat & cooperit Calicem.

Christus resurgit a mortuis.

ORATIO.

O! Domine JEsu Christe, qui per gloriosam Resurrectionem tuam devicta morte beatæ æternitatis aditum nobis reserasti: Per merita Passionis & Resurrectionis tuæ quæso cœlesti me dono prosequere, ut & perfectam libertatem peccatis absolutus consequi merear, & ad vitam proficiam sempiternam. Amen.

Sacerdos dicit Postcommunionem.

Christus apparet sanctissimæ Matri suæ.

ORATIO.

O! Domine JEsu Christe, qui post Resurrectionem tuam amantissimæ Matri tuæ, quam præ cæteris dilexisti, & ab ea diligebaris, apparuisti, & secundum multitudinem dolorum illius, consolationibus animam ejus lætificasti: Concede, ut erga te Dominum meum Patientem & Matrem compatientem affectu compassionis & devotionis ferar, ut fructum Resurrectionis tuæ & visitationis spiritualis consequi merear. Amen.

Sacerdos dicit: Dominus vobiscum.

Christus apparet Discipulis, & cum eis adhuc 40. diebus conversatur.

ORATIO.

O! Domine JEsu Christe, qui teipsum præbuisti Discipulis vivum post Resurrectionem per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno DEI: Dirige gressus meos in semitis tu-

is, ut ſecundum divinum beneplacitum tuum ambulem, & voluntatem tuam in omnibus perficiam. Amen

Sacerdos dicit: Dominus vobiſcum. Ite Miſſa eſt.
Chriſtus aſcendit glorioſe in cælum.

ORATIO.

O! Domine JEſu Chriſte, qui in conſpectu Diſcipulorum tuorum glorioſe in Cœlum aſcendiſti, & ſedes ad dextram Patris: Concede gratiam animæ meæ, ut omnes mundi vanitates nihili ducat & contemnat, te autem ſolum quærat & diligat ſponſum ſuum, & in te ſolo, fiduciam Spem & conſolationem ſuam reponat. Am.

Sacerdos dat Benedictionem.
Chriſtus mittit Appoſtolis Spiritum Sanctum.

ORATIO.

O! Domine JEſu Chriſte, qui poſt Aſcenſionem tuam Diſcipulis tuis Sanctum miſiſti Spiritum; Purifica per infuſionem ejuſdem Spiritus Sancti cogitationes cordis mei, ut te perfecte diligere, & digne laudare merear. Amen.

CONCLUSIO.

Suſcipe, obſecro in gratiarum actionem, Pater æterne, vitam & mortem Unigeniti Filii tui, & per hanc da mihi, ut vivam & ſerviam tibi, omnibus corporis membris, & potentiis animæ meæ.

Domine ante te eſt omne deſiderium meum, ſed imperfectum meum viderunt oculi tui. Verum ecce vota mea tibi Domine reddo in conſpectu omnis populi tui, & memor beneficiorum

tuorum

ſuorum, & immenſæ charitatis tuæ, dico & devoveo tibi omnia opera mea. Credo tibi, & in te ſpero, & toto corde te diligo, O! DEus meus, veritas mea, miſericordia mea, & refugium meum & omnia.

Praxis Communionis ſpiritualis.

Ita eſt, Domine JEſu, indigniſſimus ſum, quia omnibus peccatoribus deterior ſum, indignus omni bono, & dignus omni malo. Sto tamen pauper & inops ad menſam magni Regis, & amantiſſimi Patris mei, tuam JEſu Chriſte: & credo tibi O! æterna veritas, quod vere e ſummo cœlorum ad verbum Sacerdotis, ut me viſites, venire dignatus es: verumtamen conſcius infirmitatis meæ, & peccatorum meorum, de quibus propterea vehementer doleo, & non audeo ſacramentaliter ſuſcipere te, ſed dico ex amore tui cum Centurione: Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum: Sed per os Sacerdotis veni amantiſſime JEſu in animam meam. Munda quæſo illam a malis omnibus, & imperfectionibus, orna bonis, & virtutibus. Amen.

Intentio & Præparatio, quando conceduntur Indulgentiæ.

Omnipotens & miſericors DEus, nec numerus, nec menſura eſt peccatorum meorum, quibus divinam Majeſtatem tuam læſi, & hæc tu quidem per Pœnitentiæ Sacramentum rite confeſſa ignoſcis & remittis: Sed tamen ſumus rei temporalium pœnarum, quibus exſolvendis opera noſtra non ſufficiunt. Quare ad inexhauſtum Theſau-

rum

rum meritorum Salvatoris nostri JEsu Christi confugimus, & obsecramus, ut per illa debitæ pro nostris peccatis pœnæ indulgentiam & remissionem ad placitum ejus in terra Vicarii, cui potestas hæc commissa est, impetrare concedas. Deprecor itaque humillime amantissime Pater, ut hæc mea, quæ persolvam opera, ex se prorsus exigua, in unione meritorum Passionis & mortis unigeniti Filii tui JEsu Christi in satisfactionem admittere, & me de Iudulgentiis his & pœnarum temporalium remissione participare concedas. Amen.

Formula orandi, pro Indulgentiis consequendis.

DEus omnium Fidelium Pastor & Rector, cujus Spiritu totum Corpus Ecclesiæ sanctificatur, & regitur, quique gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti: Custodi opera misericordiæ tuæ, ut Ecclesia tua toto Orbe diffusa, bonorum omnium incremento augeatur, & stabili fide in tui nominis Confessione perseveret. Per eundem &c.

DEus largitor Pacis & amator charitatis, da famulis tuis Regibus & principibus Christianis veram cum tua voluntate concordiam, ut bellis, dissensionibus, & omni perturbatione submota, secura tibi serviat Christiana libertas- Per Dominum &c.

Omnipotens sempiterne DEus, qui neminem vis perire; respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni hæretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant, & ad veritatis tuæ redeant unitatem. Per Dominum &c.

EXER-

VISITATIO FRUCTUOSA.

Quid facietis in die Visitationis? Is. 10.

FESTUM VISITATIONIS B.ma V. MARIÆ.

Pomum visitationem tuam pacem Ps. 60.



Glorificent Deum in die visitationis. 1. Petri

C. P. S. C. M.

Ios. et Ioa. Klauber Cath. Sc. et exc. A.

EXERCITIUM STUDII, ET STUDENDI.

Et monita utilia, ut Studentes proficiant in litteris.

PROEMIUM.

Creatus est homo ad eum finem, ut Dominum DEum suum laudet, ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat. Id autem homo præstare non potest, nisi DEum cognoscat: cognoscitur autem DEus tum lumine fidei, DEO sui cognitionem revelante; tum lumine naturali ex creaturis *Rom.* 1. Invisibilia enim DEI a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Ad creaturarum autem cognitionem humanis scientiis pervenitur: quarum unaquæque circa rem aliquam a DEO procreatam intelligendo & speculando versatur. Igitur humanarum scientiarum finis est DEI cognitio. Scientiæ autem studio acquiruntur. Quare Scopus, ad quem scientiarum studium recta tendit, est ex creaturarum cognitione ad DEI cognitionem, indeque ad ejusdem laudem, reverentiam, obsequium, amorem venire, ut tandem homo salvus fiat. Unde est igitur, quod in nostro studio sæpe contrarium experiamur? nempe quo magis scientiarnm acquisitioni incumbimus, eo in nobis magis Dei amorem intepescere, inflari animum superbia, devotionis pinguedinem exsiccari, in majora nos amittendæ divinæ gratiæ pericula incurrere cernimus; & quo doctiores evadimus, eo fieri ad nostram, & aliorum salutem procurandam segniores, & ineptiores? Tantum profecto malum non alia ex causa videtur posse contingere, quam ex depravata aliqua ratione studendi, dirigendique Studii ad finem. Operæ igitur pretium fiet, si modus aliquis tradatur

tur ad accommodate studendum juxta Christiani hominis finem & Institutionem. Quæ studendi ratio, ut facilius exponatur, principio studii natura videtur esse explicanda, quæ tum ex definitione, tum ex causis intelligetur.

Studendi definitio, atque causa.

Studium, sive Speculatio, est veritatis indagatio id est: Actio quædam intellectus, quæ tota versatur in apprehendendis mente rebus, atque ita omnino, ut ipsæ sunt, cognoscendis. Actionis hujus quatuor sunt Causæ. Materia, Forma, Efficiens, Finis.

Materia duplex, in qua, & circa quam, Materia in qua, est intellectus ipse, ut subjectum, in quo veritatis indagendæ Actio recipitur. Materia circa quam, sunt objecta, circa quæ Speculatio versatur, inter quæ præcipuum est DEus: reliqua participationes quædam divinæ Bonitatis sunt. Item Materia, circa quam, Libri dici possunt, qui per scripturas, ut per signa quædam, intellectui, objecta contemplanda proponunt. Item Doctorum voces, eandem ob causam.

Forma, est ipsa nostra Speculatio, atque cognitio. Efficiens, est primo DEus, qui ut agens principale ad Speculationis nostræ actionem concurrit, qui per superiores, Professores, Libros, Lumen rationis, & alias vias. Studium, Studii tempus, Modum, & alias circumstantias præscribit. Secundo: Intellectus noster, qui in veritatem investigandam incumbit. Tertio: Imaginatio, quæ simul cum intellectu operatur. Quarto: Sensus externi, qui principium sunt intellectionis, nihil enim est in intellectu, nisi prius aliqua ratione præfuerit in sensibus. Quinto: Quæcunque tum sensus externos tum imaginationem, tum intellectum ad cognitionem formandam juvant, ut voces, tum a Doctoribus prolatæ, tum scriptæ in libris. Finis immediatus studii, est ipsa cognitio, & rerum veritas, ad hoc enim dirigitur studium, ut perfectam

rerum

rerum cognitionem assequamur, atque ita nostra mens res omnes apprehendat, fiatque, ut ait Aristoteles, omnia, dum intelligendo, res omnes ad se quasi trahit, earumque in se similitudinem exprimit. Finis mediatus, ad quem hæc cognitio ordinatur, est salus, & perfectio, tum nostra, tum aliorum, & gloriæ DEI. Gloria DEI, quia universa propter semetipsum operatus est Dominus, non ad suam utilitatem, cum sit infinite perfectus nulla indigens creatura: sed ut ipsius perfectiones participentur a creaturis, atque ita ipsius bonitas cognoscatur, atque laudetur: quod est glorificari DEum. Quidquid ergo a DEO conditum est, ad eum finem conditum est, ut ex eo creaturæ intellectuales, quales Angeli, & homines sunt, ad Creatoris cognitionem deveniant, & laudem. Creaturæ autem præcipuæ sunt, elementa, & corpora corruptioni obnoxia, cœlum, cum astris, corpus humanum, hominis animus, & ejusdem operationes, gratiæ, mysteria, leges tum divinæ, tum humanæ: Circa quorum cognitionem Physica, Mathematicæ disciplinæ, Medicina, Moralis scientia, Dialectica, Rhetorica Metaphysica, Juris prudentia, Theologia versatur: ex quibus creaturis DEI Existentia. Unitas, Infinitas, Sapientia, Justitia, Bonitas, Providentia, Majestas, aliæque perfectiones intelliguntur: qua intelligentia glorificatur DEus. Illas autem disciplinas, & hanc intelligentiam, ut assequamur, opus est studio. Mediatus igitur studii finis, est gloria DEI, quæ in ejus cognitione posita est. Porro ex DEI cognitione, salus, atque perfectio manat in animos nostros. Salus, & perfectio nostra, est charitas, qui enim non diligit 2. *Joann.* 3. manet in morte. Et charitas *Coloss.* 3. est vinculum perfectionis. Quia ipsa facit nos adhærere DEO summo bono, quo maxime perficimur, omnis autem, qui diligit, cognoscit Deum *Joan.* 4. qua enim ratione diligere possumus, quem non cognoscimus? E studio autem oritur cognitio. Finis ergo studii charitas est, quæ est salus & perfectio nostra. Quis quis autem homo Christianus, qui Scientiis acqui-

rendis

rendis operam navat, non solum suam, sed aliorum etiam hominum Salutem & perfectionem in studio spectare debet. Cum enim veri DEI cognitionem habeat Creatoris omnium, quem diligit super omnia; optabit omnino eandem cognitionem omnibus hominibus communem esse, Deumque ab omnibus sancte coli, atque amari, & in quantum in ipso erit, curabit enixe, ut omnes homines DEum cognoscant, & colant: Deservit autem ad DEI cognitionem facilius, & absque errore communicandam doctrina. Spectare ergo debet in studio, quo sibi quisque doctrinam comparat, & salutem, & perfectionem aliorum. Quam ab homine Christiano spectandam esse illud etiam suadet, quod quilibet Christianus ratione Orthodoxæ Fidei, qua donatus est a Deo, Ecclesiæ membrum est: debet autem unum membrum pro altero membro esse solicitum, & illius incolumitatem, totiusque Corporis bonum curare. Quare Christianus homo inter cætera illud imprimis spectare in litterarum studio debet, ut ad suorum proximorum & Ecclesiæ utilitatem litteras dirigat Utilitas illa a viris doctis Sacramentorum præsertim Confessionis Administratione, piis Colloquiis, Exhortationibus, Concionibus, Lectionibus sacris, Christiana Doctrina rudibus tradenda, Catholica Fide inter Ethnicos propaganda, inter hæreticos defendenda, procuratur. Ergo ad hæc omnia studium tendat, ut ad finem mediatum. Jam intellectis causis, & definitione studii, quæ praxis adhibenda sit, facile intelligetur. Quia vero tria sunt tempora, unum ante studium, alterum in ipso studio, tertium post studium, ideo tota Praxis in tres partes dividitur.

Ante Studium.

Juvat ad Christiane studendum Oratio.

Praxis Actio quædam est, quæ vel mente fit, vel verbis, vel opere externo, Prima Praxis, quæ maxime ne-

necessaria. Orandus enixe Deus, ut ipse suggerat modum recte studendi, Studium dirigat, veritatum cognitionem communicet, & proficere nos faciat ad majorem ejus gloriam, & finem nobis propositum. Recitari posset Oratio S. Thomæ infra posita. Præterea tum Sanctorum, tum piorum hominum Præces & Sacrificia adhibenda.

Spes in DEUM.

Secunda: submisse de propriis viribus sentiendum: spes omnis profectus in DEO collocanda: a quo etiam sperandum auxilum ad Christiane studendum.

Contemptus aliarum rerum excepto DEO.

Tertia: Considerandum, ita ut hæreat animo ea cogitatio, quam pauca sint, quæ in hominum cognitionem cadunt, quam obscura, quam incerta, ut nobis ita cogitantibus vilescant omnia, & non magnifiat nisi solus DEus & divina. Item quam difficile ad rerum vel vilissimarum cognitionem perveniamus: quam imbecilla vis intelligendi mentis nostræ: quam pluribus rebus, quas intelligimus noster intelligendi modus sit inadæquatus, ut ex hac consideratione nunquam super nos ipsos efferamur, si vel ad Aristotelis & omnium doctissimorum hominum doctrinam perveneriimus.

Affectus obedientiæ.

Quarta: Intime in corde figendum. Nos esse DEI servos multis nominibus. Quare quamlibet actionem vel minimam ad DEI obsequium, & ad illius voluntatem exequendam, atque ex ipsius voluntate dirigere debemus. Ergo statuamus ob id nobis studendum esse, quia DEus ita vult: ut ex ejus providentia, qua nobis præbet occasionem studendi, præceptis majorum, & ratione ipsa colligere possumus; neque quo ad studendi modum nobis vel latum unguem a DEI voluntate de-

flectendum. Ex quo intelligitur ſtudendum cum diligentia, quia obſequium præſtamus Deo, & cum diſcretione, ne valetudini noceat ſtudium contra quam DEus vult.

Affectus Charitatis.

Quinto: Excitandus ardens charitatis affectus in DEum, & proximos: neque unquam incipiendum ſtudium, niſi prius intelligamus vere nos non ob alium finem, niſi charitatis ad ſtudendum accedere, id eſt: ad DEum magis amandum, eo magis per ſcientiam cognito, ad ejus gloriam amplificandam, ejus voluntatem exequendam: ad Eccleſiæ Catholicæ defenſionem, propagationem, profectum, & ad cæteros fines, qui ſupra ante praxim numerati ſunt.

Familiaritas cum DEO.

Sexto: ſtudendum familiaritati cum DEO, præſertim in ſpiritualibus exercitiis: familiaritas autem cum DEO erit, vel tanquam ſervi cum Domino, vel tanquam amici cum amico. Exercitia ſpiritualia ſunt: Meditatio: Miſſa: divinum Officium, examen conſcientiæ &c. Ex hac familiaritate orietur ex ſtudio devotio, affectus juvandi proximos, & impedietur ſiccitas, & diſtractio, quæ natura ſua generat ſtudium. Et quia talis ſolet quisque eſſe, quales ejus familiares: quales nos erimus, ſi divinæ familiaritati ſtuduerimus.

Colloquia ſpiritualia.

Septimo: Colloquia cum quibuſcunque, ſermonesque familiares ſint fere de rebus divinis, ut nihil aliud in mentem noſtram veniat, niſi quod ſanctum eſt: nihilque cogitare poſſimus, niſi divinum, ea ratione litterariæ commentationes redolebunt divina. Colloquiorum familiarium ea poſſet eſſe praxis. Cogitandum, quibus de rebus ſimus locuturi, antequam ad loquendum accedamus, dicenda, quæ legerimus, audierimus, meditati fuerimus. Cum amicis ſtatuendum, ut aliquis

incipiat proponere spiritualia: Insinuandum familiaritati eorum, quos scimus de DEO locuturos. Materia sermonis: de quatuor novissimis, de virtutibus & vitiis, de miraculis, de exemplis, & vitis Sanctorum, imprimis Christi, & B. Virginis, de gestis in Christi Ecclesia, præsertim a Religiosis, tum præterito, tum præsenti tempore præsertim circa conversionem animarum inter fideles & infideles: de variis mediis, quibus mundus juvari potest, & Ecclesia propagari, & exaltari, qui sermo excitet ad auxilium mundo, & Ecclesiæ ferendum per studia. Adeundus crebro Pater spiritualis, qui sit Vir doctus, & sanctus, & cum illo de his rebus & aliis similibus agendum.

Lectio Librorum spiritualium.

Octavo: Præparandus animus ad Christiane studendum lectione crebra librorum spiritualium, ea lectio juvat ad declinandam devotionis siccitatem, quæ oriri solet ex studio, ad majorem fructum ex eo percipiendum, cum accedat intellectus plenus cogitationibus piis. Ideo lectio spiritualis a Viris doctissimis usurpata, ut a S. Thoma Aquinate. Quare deberet illa quotidie semel ante studium præmitti per quartam saltem horæ partem. Circa illam autem, cum sit ad devotionem nobis excitandam, duo debent attendi; Materia, & modus. Quod ad materiam attinet, abstinendum a libris, qui modo loquendi aures nimium oblectant, & curiositatem excitant, præsertim si vulgari idiomate scripti sunt: legendi libri, qui solidarum virtutum doctrinam doceant, ut charitatis, spei, fidei, mortificationis interioris, obedientiæ, humilitatis: qui agant de DEO, Deique cognitionem animis inserant; qui rationem contineant, & modum tradant varias actiones nostras recte atque Christiane peragendi; qui ad gloriam DEI amplificandam, ad Ecclesiæ auxilium, ad Religionis Catholicæ propagationem, atque defensionem impellant. Videntur valde utiles inter alios libelli spirituales

S. Augustini præsertim Soliloquia: Gregorius magnus, Epistolæ S. Hieronymi, Basilii Regulæ, Cassianus, opuscula spiritualia S. Bona venturæ, ac S. Thomæ, S. Bernardi opera, Hieronymi Plati de bono status Religiosi, Thomæ Kempensis de imitatione Christi. Vitæ Sanctorum, inspirationes divinæ, atque lumina, quæ variis temporibus a DEO recepta sibi quisque ad memoriam adnotarit, legi indentidem cum attentione possent praxes & Exercitia in hoc libello posita, aut aliquid aliud, quod ad pie studendum conferre cernetur. Modus autem legendi libros spirituales is esse potest. Ante Lectionem petendum a Deo lumen ad recte percipiendum ex lectione quæ nostræ saluti, perfectionique conferunt, & propensio voluntatis ad illa. In ipsa lectione videndum, ecquid elici possit ex eo, quod legitur, ad solidarum virtutum exercitium, ad juvandum alios, ad pietatem augendam, ad DEum glorificandum. Verum hæc omnia inter legendum referenda sunt ad profectum nostrum spiritualem, non ad concionum, sermonumve materiam comparandam, quæ cogitatio spiritum devotionis exsiccaret. Post lectionem tamen, si quæ in ipsa lectione lumina occurrerint notatu digna, proximis utilia, notari breviter possent, & in locos communes referri.

Animi Puritas.

Nono: Præparatio quoque optima est ad Studium, ad veritates tum naturales, tum supernaturales percipiendas animi puritatem procurare. Quoniam ut dicitur Sap. 1. in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Procuratur autem animi puritas Sacramentis Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ rite frequentandis, crebro de peccatis admissis, quia per ea DEI numen offenditur, dolendo: malorum hominum consuetudine, atque familiaritate vitanda: piis quotidie meditationibus utendo, quarum materia peti posset ex hoc libello, si alia non habeatur.

Verbo DEI, quoties occasio se se obtulerit audiendo: piorum hominum cœtibus atque Sodalitatibus adeundis: rectam in Studiis & aliis actionibus intentionem identidem renovando. Debet enim Christianus homo serio, ac sæpius in die cogitare, cur studeat, & alia quælibet agat, non ut peccuniam, ut honores adipiscatur, ut fruatur hoc sæculo, quod prætervolat; sed ut DEI voluntatem exequatur, ipsi obsequium exhibeat, ipsum glorificet, animi salutem consequatur.

In Studio.

Cum Scopus Christiani hominis, qui incumbit in litteras, debeat esse pie studere, ac Studia christiane peragere, ut ex ipsomet Studio, non solum ex actibus præcedentibus, proficiat animus in pietate, & nihil impediatur fervor Spiritus, non videtur id alio modo præstari posse, quam si inter studendum actus quidam fiant, qui maxime inserant pietatem in animis nostris. Hujusmodi videntur esse Petitiones, quibus petatur a Deo lumen ad veritatem cognoscendam: obsecrationes: gratiarum actiones: Ratiocinationes, quibus e veritatibus cognitis aliquis spiritualis fructus eliciatur: Interogationes, quibus vel DEum, vel cœlites interrogemus de dubiis occurrentibus: Contemplationes, quæ fiant, vel admirando ea, quæ speculamur, ut opera DEI, quasi radios a Deo luminum patre profecta: vel cognoscendo DEum ex illis sive affirmative, quod eorum perfectio sit eminentissime in DEO, sive negative, quod DEus non habeat imperfectiones eorum. Hi actus, ut docet experientia, non solum ad Pietatem, sed ad ipsam etiam Scientiam valent plurimum multo majorem e Studio eliciendam quam si tales actus non fierent. Ne tamen valetudini noceant, si ab inexpertis indiscrete fiant (quamquam ipsi per se nocere multo minus possint, quam ipsa Studia, imo maxime juvent, ne obsint valetudini Studia, quia imoderatum Studiorum fervorem temperant) Consulendus est Pater Spiritualis, aut

alius. Quivis prudens in Domino, & in ſpiritualibus intelligens, & ex horum conſilio ſervandus eſt in his actibus modus. Praxes ergo, quæ ſequuntur, fere ad aliquem ex his actibus reducuntur.

Prima Praxis ex fine immediato Studii, quæ eſt cognitio rerum. Cognitio eſt ornamentum, & perfectio partis, quæ eſt in homine nobiliſſima, nempe intellectus: proinde cognitiones ſunt divitiæ nobiliſſimæ, quibus qui caret, etiam ſi bona corporis habeat, atque externa, mendicus dici debet, quia caret iis divitiis, quæ propriæ ſunt hominis, quatenus homo eſt. Ex hoc igitur fiat praxis inter ſtudendum. Primo agnoſcendo animi penuriam & paupertatem. Secundo accedendo ad libros, ut accedit mendicus ad divitum domos petiturus eleemoſinam. Tertio petendo a Deo, ab Angelis, a Sanctis, præſertim iis, qui eos libros ſcripſere cognitionem quaſi ſtipem. Quarto concipiendo affectum ſubmittendi ſe Magiſtro, condiſcipulis, aliis, ut doceatur, tanquam mendicus a viris divitibus. Quinto agnoſcendo tenuitatem doctrinæ, quam quotidie ſibi comparat, & quantum ſibi deſit; quam parum ea, quæ cognoſcit, ſatient appetitum cognoſcendi. Sexto cogitando futuram in alia vita cognitionem nobliſſimam DEI, quæ explebit omne noſtrum deſiderium, & nobilitabit maxime animum noſtrum, atque beabit.

Secunda Praxis ex alia parte finis, quæ eſt cognitio DEI. In ea cognitione poſuit Ariſtoteles Beatitudinem naturalem. Intellexit enim quam nobilis ſit, & quam perficiat animum noſtrum, in ea poſita eſt magna pars beatitudinis ſupernaturalis, qua fruuntur Angeli, atque homines in cœlo. Praxis eſſe poterit: Primo inter ſtudendum, petendo ab Angelis, a Sanctis, & ab ipſo imprimis DEO, ut ſui cognitionem nobis largiatur: oſtende mihi faciem tuam: Sonet vox tua in auribus meis. Secundo: Quia omnes creaturæ ſunt DEI veſtigia, & quaſi tegumenta quædam, ſub quibus latet DEus, quia

ipſe

ipſe eſt intimus omnibus creaturis: dum eas ſpeculamur, petendum a DEO, ut quaſi auferat integumenta, & revelet ſe nobis. Tertio: quia DEus eſt primum principium, & cauſa rerum omnium, illas producens, conſervans, & movens *Act.* 17. ex iis, quæ ſpeculamur, erigamus nos in Dei cognitionem, vel affirmando aliquid de DEO, v. g. hæc res eſt pulchra! quam pulchrior DEus, qui fecit illam? Hæc ſapiens: quam ſapientior DEus a quo ea profluxit! hæc v. g. lex juſta eſt: quanto juſtior DEus, per quem legum conditores juſta decernunt? *Prov.* 8. *&c.* Vel negando: Non eſt hoc, quod ſpeculor, DEus, aliud aliquid eſt &c. Quarto admirando, quaſi intuitive DEum videamus in iis creaturis, quas ſpeculamur.

Tertio, ex fine magis mediato, qui eſt ſalus noſtra, atque perfectio: quæ res eſt maximi momenti: quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Nulla cognitio præferenda ſaluti, ac perfectioni noſtræ. Porro ſalus noſtra, & perfectio eſt charitas, cui adjunctæ ſunt aliæ virtutes, ut fides, ſpes, & aliæ virtutes morales &c. Quare praxis erit, in eam diligentiam incumbere, ut ex ſtudio aliquis fructus eliciatur, quo augeatur charitas, fides, unio cum DEO &c. v. g. augetur fides cogitando, quam congruant ea, quæ docet Eccleſia, cum iis, quæ lumine naturali cognoſcuntur. Augetur charitas colloquendo cum DEO, & illum laudando, admirando ex creaturis, ut faciebat S. Auguſtinus. Augetur ſpes cogitando, ſi DEus mihi nunc has cognitiones tribuit, tribuet & eas, quæ ſunt neceſſariæ ad vitam æternam, tribuet cognitionem ſui, lumen gloriæ &c. Augetur ſtudium orationis, ſi ex modo Philoſophandi eliciamus modum divina contemplandi in oratione, aut materiam aliquam, ex qua in oratione erigere nos melius poſſimus in DEum.

Quarta Praxis ex fine ultimo, qui eſt divina gloria. Excitandum eſt deſiderium divinæ gloriæ, & zelus illius ex cognitione divinæ Majeſtatis: quæ digniſſima eſt omni reverentia: ex divinis beneficiis, quia cum quid quid ſum a DEO ſim, corpus, anima, operationes, gratia, gloria &c. nihilne conabor DEO retribuere? Nihil aliud autem dari poteſt DEO, præter gloriam. Gloria vero tribus modis procuratur, & datur DEO, cogitatione, verbis, operibus, quæ fiant tum a me, tum ab aliis. Cogitatione duobus modis: Primo: cognoſcendo illum per cognitionem naturalem. Secundo: per cognitionem fidei, quæ cedit in majorem DEI gloriam. Actus autem fidei tot multiplicari poſſunt, quot ſunt articuli fidei, atque is, qui cognoſcit DEum, cum exprimat cognitione DEum, quaſi format in ſe DEum, quare cum cognoſcimus DEum, aut cognoſcendum ab aliis curamus, quaſi producimus, & damus DEO eſſe in mentibus hominum. Verbis datur gloria DEO, illum laudando, gratias agendo, recitando præces Eccleſiæ, loquendo de divinis rebus, concionando. Opera, quibus glorificatur DEus, ſunt, quæcunque a nobis fieri poſſunt juxta divinam voluntatem. Quare S. Paulus nos hortatur 1. *Cor.* 2. ut ſive cum manducamus, ſive cum bibimus, ſive aliud quid facimus, omnia ad DEI gloriam faciamus. Sed imprimis glorificant DEum: Primo: obſervatio divinæ legis. Secundo: opera miſericordiæ ſpiritualia, & corporalia. Tertio; uſus Sacramentorum, & eorum adminiſtratio. Quarto: divinus cultus exterior, præter Miſſæ Sacrificium. Huc ſpectant genuflexiones, Cæremoniæ Eccleſiæ, Indulgentiarum uſus, coronæ geſtatio, uſus aquæ benedictæ, Palmarum, Imaginum, candelarum, ceræ ſacræ, ſigni Crucis, peregrinationes, uſus doctrinæ ſcholaſticæ, & alia, quæ impugnantur ab hæreticis. Praxis ergo ſit. Primo: Colloquendo cum DEO ex occaſione alicujus doctrinæ, quæ addiſcitur, & illum glorificando per reflexionem ad ali-

quid

quid ex iis, quæ numerata sunt. Secundo: post aliquid speculativum insistendo, & videndo, ecquid elici possit utile alicui rei, ex iis quæ dictæ sunt, ad Idololatras, Judæos, Turcas, hæreticos, Schismaticos convincendos: & id, quod elicitur, adnotando in libello locorum communium, ut postea usui esse possit, cum offeretur occasio vel nos, vel proximos juvandi. Multa hoc modo comparari possunt valde utilia ad concionandum, cum sint lumina divina. Tertio: scribendo ex iis, quæ inter speculandum vidimus, tractationes spirituales, quæ usui esse possint aliis multis, ad quos pervenire non potest nostra vox.

Quinta Praxis ex causa efficiente, quæ est DEus, qui omnipotens, ego qui valde impotens: ex causa materiali, quæ sunt res obscurissimæ: ex consideratione enim nostræ imbecillitatis, non solum in invenienda veritate, sed etiam in alenda pietate, quod maximi momenti est in studio: & excognitione divinæ potentiæ, quæ omni imbecillitati potest fortitudinem præbere, & quia res ipsæ, quæ cognoscuntur a nobis, totum intellectum ad se trahunt, ut nullus relinquatur locus affectui, videtur hæc optima praxis elici, quæ maxime confert, & necessaria est. Ut inter studendum rebus difficilibus, & longioris speculationis formemus colloquia cum DEO, illum interrogando quasi alium ex nobis vel ex Magistris: qua ratione hoc vel hoc, Domine mi se habet? non videtur se habere hoc modo ob hanc vel hanc causam: dicendum ergo hac ratione vel hac. O! quam benedictum est, DEus cordis mei, te suggerente, & similia: quæ interim pinguem pietate mentem reddunt, & uberem ad pie reliqua præstanda post studium. Scribenda interdum hæc colloquia, ut plura suggerantur nobis, & deinde usui esse possint ad pietatem excitandam quando erimus aridi.

Poſt Studium.

Prima Praxis a cauſa efficiente, quæ eſt DEus imprimis, a quo omne bonum. Primo gratiæ agendæ DEO de cognitione rerum per ſtudium acquiſita. Secundo: Inter loquendum cum aliis ſermo ſit talis, ut omnia in DEum referat v. g. hoc intellexi DEO auxiliante, hanc tractationem vel quæſtionem ſcripſi adjutore DEO: ita nihil nobis tribuemus, atque hic loquendi modus, ſentiendi etiam modum juvabit. Tertio: Quæcunque cogitavimus, aut ſcripſimus, offerenda DEO, ut Auctori petendum, ut ea, ipſe benedicat, & conſecret, ac dirigat in ſuam gloriam Chriſti pedibus ſubjicienda.

Secunda. Ex fine immediato, qui eſt cognitio veritatis. Primo: Non abundando in proprio ſenſu: cogitandum, nos facile potuiſſe decipi in ſpeculatione; quare parati eſſe debemus ad ſententiam mutandam, ſi quid melius occurret. Secundo: Audiendi attente, qui ſunt contrariæ ſententiæ, & cum animo non obſtinato, ſed humili, ita fiet, ut DEus magis nos illuminet, qui dat humilibus gratiam; & alii nobis facile aperiant ſui animi ſenſa, cum non inveniant aures obſtruſas, & nos multa diſcamus, cum non ſiſtamus in una noſtra cogitatione, quæ impediret, ne alia cognoſcantur.

Tertia Praxis ex fine mediato, qui eſt noſtra ſalus, & profectus in Spiritu. Primo: Cum ſe ſe offert occaſio inter loquendum, inter fundendum præces ad DEum &c. Juvemur cognitione hauſta ex ſtudiis, ut ſupra indicatum eſt. Secundo: Ne cogitemus de ſpeculationibus factis in ſtudio, ſive de rebus, quæ ſpectant ad litteras, dum audimus res ſpirituales, aut dum oramus, aut alio tempore, quod impendendum eſt rebus piis. Cogitandum nobis eſt, id futurum contra DEI voluntatem, id impedimentum allaturum divinis luminibns, & hauriendo affectui & perfectioni noſtræ. Quid autem proderit, ſi univerſam ſcientiam lucremur, animæ vero noſtræ detrimentum patiamur? quid noſtra ſalus cum ſtu-

ſtudiis, quis ſcit, an DEus præbiturus ſit actum contritionis? & non præbet, quia diſtrahimur talibus cogitationibus. Jam ſpiritualia ſpectant ad affectum, ex quo efficacia omnis ad omnes actiones noſtras promanat. Idem præſtandum eſt, cum legendi libri ſpirituales, aut loquendum eſt de rebus ſpiritualibus, ne ſicci evadamus, & aridiſſimi, quod ad cogitationes pias attinet. Tertio: Cum majores noſtri, quibus tenemur obtemperare alia negotia nobis injungunt, & munia, quæ ſtudium impediunt, ea libenti animo exequenda: quippe cum DEus a nobis non ſtudia, ſed ſuæ voluntatis executionem requirat, quam nobis declarat per imperium eorum, qui nobis præſunt. *Coloſ.* 3. Filii obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum eſt Domino *Hebr.* 13. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.

Quarta Praxis ex fine divinæ gloriæ, quæ didicimus communicanda aliis ſine invidia, ſed magna cum charitate, & affectu, ut propagetur divina gloria. Communicare autem poſſumus tum verbis, tum ſcriptis.

Hic ſtudendi modus juvat ad familiaritatem cum Deo acquirendam, ad quam eniti magnopere debemus: valet enim illa ad omnes tentationes facilius ſuperandas, & ad cumulandum animum ſpiritualibus bonis.

Epilogus ſuperioris Praxis, & monita valde utilia, ut Studentes proficiant in litteris.

Ad ſtudium ne accedas, niſi prius animum recte diſponas: quod fiet illum purificando a peccatis: renovando rectam intentionem: excitando diſcendi deſiderium: immoderatum ſtudendi ardorem: & anxias circa ſtudium cogitationes compeſcendo, quæ duo & valetudini nocent, & intellectum perturbant, ne clare veritatem percipiat: denique omnes alias cogitationes, quæ ad ſtudium non faciunt, ablegando, quod facile fiet,

ſi per aliquantulum temporis intervallum te recipias ad meditandum, quam viles ſint res omnes humanæ: te nunc eſſe in momento, ex quo pendet æternitas: tibi de omni opere rationem DEO eſſe reddendam. Tum recitare poteris piam aliquam orationem ut Creator in effabilis &c. ut infra. Poſtremo ſigna te ſigno crucis & ad ſtudium accede.

Secundo. Ne lege libros multos, ſed unum, aut alterum in unaquaque facultate præcipuum, & ſcripta Magiſtri. Perturbat enim multa lectio intellectum, ut docet experientia, & ineptum reddit ad inveniendum, & ad pariendum multa ex ſe. Pauca bene intellecta, præſertim ſi ſcientiarum principia ſint, mirum quantum valent ad cætera clare apprehendenda, & ad innumerabilia deducenda. Principia porro ſunt ipſa initio cognoſcenda. Poſtquam locum aliquem, aut loci partem legendo percurreris, inſiſte intelligentiæ, neque ad aliquem propera prius, quam illum probe perceperis. Si difficultatem pateris, pete intelligentiam a DEO, cujus intelligentiam nullo modo aſſequi potes, id adnota, ut Magiſtrum, aliumve peritum quam primum interroges, cum quid aſſequaris, gratias age DEO. Crede autem Magiſtro, authorive, quem legis: oportet enim addiſcentem credere, ſisque bene erga docentes affectus.

Tertio: Poſtquam locum aliquem ex libro: aut ſcriptis Magiſtri bene perceperis, eum ſic examina, ut ipſe tibi objicias, & quæ objeceris, ſolvas: quæ nequiveris, adnotes ad interrogandum vel diſputantum. Rurſum autem eundem locum ſpeculare marte tuo, ut melius intelligas, & exercearis ad inveniendum alia plurima. Modus autem ſpeculandi & inveniendi petendus ex Topica, principio cognoſcenda notio, ſeu definitio nominis, & varia ſignificatio. Nomina enim imponuntur ad rei naturam explicandam, quare multum valet ad intelligentiam rei cognitio nominis. Deinde rei natura inveſtiganda, incipiendo vel a cauſis, vel ab effectibus.

bus, seu proprietatibus, ut comodius fuerit ad veritatem inquirendam. Causæ quatuor, duæ intrinsecæ: Mataria ex qua res est, sive subjectum, in quo est; & forma, per quam a cæteris rebus distinguitur: ut hominis materia corpus, forma est anima. Duæ causæ extrinsecæ, Efficiens, a qua res producitur; Finis, propter quem est, seu ad quem ordinatur. Plurimum optimum est ordiri Speculationem ex fine, quia rei natura accommodatur fini, ad quem ordinatur. Effectus rei sunt, quæ existunt ex ipsa. Proprietates, quæ illam ab aliis distinguunt, sed non spectant ad ejus naturam. Ne quid effugiat, percurrenda sunt cognitione decem rerum genera: Substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, ubi, seu locus, quando, seu tempus, situs, habere, seu vestis, aut cætera, quæ rem circumstant. Ut autem melius hoc inveniendi modo utare, interroga Magistros, qui eum fusius, & clarius explicabunt, ut etiam cætera, de quibus hic agitur.

Quarto: Si das operam litteris humanioribus, exerce te Lectione, Scriptione, Sermone, Lectio valet ad eruditionem tum linguæ, tum historiæ, tum artificii comparandam. Ad eruditionem linguæ nota inprimis phrases, Proprietatem, Translationes. Pleni eruditione historiæ inter Ecclesiæ Patres S. Clemens in libris Stromatum, S. Augustinus de Civitate Dei. In lectione pro notando artificio, Primum considera, ex quo genere quæstio, sive materia sit, de qua liber agit, quem legis: deinde Argumentum & argumenti partes, quod sumas ab historia. Tum propositum Scriptoris, & propositi partes; quod ex tota scriptione colligas animo, & propositionem formes. Tum adverte Propositionis rationem, rationis explicationem, explicationis ornamentum. Postremo orationis partes & collocationem: dicendi genus, figuras, tum sententiarum, tum verborum; rara dicta latentia in propositionibus, sive apparentia epiphonemata, Juditia, Affectus. Scriptio mirum in modum juvat ad linguas addiscendas, & ad

ad acquirendam eloquentiam. Nullus dies sine linea. Antequam ad scribendum accedas, lege aliquid ex libris præstantioribus in eo genere, quo tibi scribendum erit, sive soluta oratione, sive vincta. Tyrones incipiant vertere aliquid ex libris elegantia præstantibus in linguam maternam, & rursum maternam versionem in linguam, ex qua eam transtulerunt, ex eaque suam versionem corrigant. Circa sermonem duo sunt præcepta, alterum ut latine loquaris communiter, sive eo idiomate, quod cupis addiscere, alterum, ut memoriæ mandes, quæ ipse scripseris, aut alius elegans Author & pronunties.

Quinto: Illud etiam post locum quemcunque perceptum, post lectionem, post scriptionem, faciendum tibi erit ad uberrimam ex litterarum Studiis, utilitatem percipiendam, ut attente consideres quomodo eam doctrinam in praxim traducere possis ad eum usum sive finem, quem sine DEI offensa tibi consequendum statuisti v. g. qua ratione Theologicæ Speculationes deservire possint Concionibus, Disputationibus cum hæreticis, ad multos homines ad Deum trahendos. Quomodo tibi utendum erit legibus, quibus studuisti, ad licitam reorum defensionem, civium utilitatem, Reipublicæ conservationem, & ornamentum: Quomodo utendum dialecticis præceptis ad inveniendum, ad arguendum, ad Scientias apprehendendas: Cui usui futuræ sint Historiæ, Orationes, Versus quæ perlegisti, ea, quæ ipse scripsisti &c. Quæ meditatus fueris, refer in libros papyraceos, qui ordine alphabethico varias materias habeant, quarum singulæ variis locis distinguantur, qui peti possunt ex Topica, ut supra dictum.

Sexto: Ultra duas horas ne legendo; aut scribendo ad laborem incumbas, quin Studium intermittas aliquantulo temporis intervallo. Ne studeas tempore, quod valetudini aut spiritui sit importunum, ut statim a prandio, a cœna, aut cum præces ad Deum fundendæ, aut Sacramenta tibi suscipienda sunt. Septimo: Quidquid priva-

to Studio intellexeris, confer cum aliis, interrogando, docendo, diſputando. Itaque ſi doctrinæ copiam vis comparare, has exercitationes ne fuge. Cave diſputes cum parum intelligentibus in ea re, de qua diſputatur. Eo animo diſputes, ut veritas eluceſcat, non ut ipſe ſuperior videare. Exhibe in diſputando ingenii, doctrinæque ſpecimen pariter, ac modeſtiæ. Cum hominibus qui malis moribus ſunt, neque litterarum cauſa colloquia miſcenda ſunt.

Octavo: In audiendis lectionibus ſis aſſiduus, & in eis prævidendis diligens, & poſtquam eas audieris, repetendis, & iis, quæ opportuerit, adnotandis, quo impoſterum memoriæ defectui conſulatur, & Scholæ diſputationibus, ac repetitionibus ſemper interſis.

Nono: Ne pluribus ſimul Facultatibus des operam, ut Medicinæ ac legibus: Theologiæ ac Mathematicæ. Pluribus intentus pauciſſima intellectus apprehendet ex ſingulis. Utile tamen eſt propter vitæ noſtræ brevitatem, ut varia munia, quæ a nobis exercenda ſunt, & opem, quam ſibi mutuo præbent facultates, & ad varia eruditionem, ad oblectamentum animi, dum ad Studia majorum, ſive utiliorum facultatum incumbimus, aliquid ex minoribus, ſive minus neceſſariis noſtro fini, delibare, ut ex græcis litteris, dum latinas apprehendimus, ex Mathematicis diſciplinis dum Phyſicæ, ex Ethica dum Metaphiſicæ, ex hæbreo idiomate, dum Scripturæ ſacræ; ex Poſitiva dum Scholaſticæ: ex caſibus Conſcientiæ dum legibus aut Theologiæ ſtudemus. Minores illas ſine detrimento majorum facultatum comparare tibi poteris quantum erit ſatis, ſi breviſſimum quotidie tempus, ſed illud certum, minoribus impendas, reliquum omne majoribus.

Oratio D. Thomæ Aquinatis ante Studia.

Creator ineffabilis, qui de Thesauris sapientiæ tuæ tres Angelorum Hierachias annotasti, & eas super cœlum empireum miro ordine collocasti, atque elegantissime partes universi distribuisti: Tu inquam, qui verus fons luminis & sapientiæ diceris, atque supereminens principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras tuæ radium claritatis, duplices, in quas natus sum, a me removens tenebras, peccatum scilicet & ignorantiam. Qui linguas infantium facis esse disertas, linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam tuæ Benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, addiscendi facilitatem, loquendi gratiam copiosam: ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad Beatissimæ Virginis Patrocinium, pro Studiorum progressu impetrandum.

O! Maria, Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei, cujus pia benignitate plurimi, quantumvis alioquin ingenio rudes, mirabiles in scientia & pietate fecerunt progressus, te Studiorum meorum Præsidem atque Patronam eligo, & per maternæ

tuæ

tuæ pietatis viſcera, maximeque per æternam ſapientiam, quæ ex te carnem noſtram aſſumere, teque ſuper omnes Sanctos cæleſti lumine illuſtrare dignata eſt, humiliter exoro, ut mihi Spiritus ſancti gratiam tua interceſſione obtineas, quatenus omnia ea ingenio aſſequi, memoria retinere, eloquio, & vita ipſa exprimere, aliosque docere poſſim, quæ tibi, & Filio tuo honorifica, mihique, & aliis ad æternam felicitatem ſunt ſalutaria. Amen.

Oratio Adoleſcentis, ſeu Juvenis.

Cuſtodi me quæſo Pater cœleſtis, nunc, & ſemper, ne in eam peccandi conſuetudinem incidam, ut neceſſe ſit in ſenecta mea juventutis meæ crimina deflere, ſed potius quotidie in virtutibus magis, magisque proficiam, tranquilla & pura conſcientia tibi deſerviens. Defende me ab omnibus inimicis meis, qui mihi mala machinantur, in his, quæ ad animam vel corpus meum pertinent, quique ſeducere ſtudent, & quæ impia ſunt docere. Ante omnia commendo tibi caſtitatem corporis mei, ut ea non tantum immunis ſit ab omni violentia, vel illicito conſenſu, ſed ut ego eam nec per impuram cogitationem, nec per obſcœnam locutionem polluam. Fac ut Parentibus, & iis, quorum tutelæ traditus ſum, in omni obedientia & humilitate ſerviam, & da mihi gratiam in bono, & in ſervitio tuo perſeverare uſque in finem. Amen.

Exercitium de Sacramento Pœnitentiæ seu de Confessione Sacramentali, ejusque Partibus.

Poenitentiam esse verum novæ legis Sacramentum: a Christo Domino *Joan.* 20. prout declarat. *Conc. Trident. Sess.* 14. c. 1. *de pœnitent* & *Can.* 3. institutum potissimum ad peccatorum mortalium, ac dein venialium post Baptismum contractorum remissionem ordinatum; palam est. Non immerito proinde a sanctis Patribus secunda post naufragium tabula intitulatur. Porro in hoc Sacramento ex parte materiæ requiruntur potissimum tres pœnitentis actus, videl. Contritio, Confessio, & Satisfactio.

Prima Pars Contritio.

Contritio est dolor de peccatis procedens ex motivo quodam supernaturali; ex motivo quippe naturali multo minus malo ac peccaminoso gratia prodire minime potest. Est autem dolor ille duplex: Imperfectus scilicet ac perfectus. Imperfectus, qui & vocatur attritio est dolor de peccatis, quatenus sunt injuria DEI, vel ob turpitudinem ipsius peccati, vel ob metum gehennæ; pœnarumque infernalium, & exclusionem a gloria cœlesti, similiumque motivorum ad ordinem supernaturalem directorum. Hæc attritio ad Sacramentum pœnitentiæ cum fructu recipiendum sufficit, si propositum de cetero non peccandi simul includat. Dolor perfectus, qui & dicitur Contritio, est actus, quo quis dolet, & detestatur, adeoque super quævis detestabilia odio habet omnia peccata sua, ut sunt malum, seu offensa Dei, sive ut sunt contra amicitiam, & voluntatem Dei, idque cum proposito non peccandi in futurum: Sicut enim DEus, quia est summum bonum, & amandus est super omnia, sic & peccatum, quo DEus offenditur, quia

est

Terribilis apud Reges terræ. Psal. 5.



S. COLUMBANUS MAGNUS O.S.B. Multarum Provinciarum Apostolus.

C.P.S.C.M. Klauber Cath. Sc. et exc. A.V.

est summum malum super omnia, saltem appretiative odio est habendum, ac detestandum. Porro contritio sicut & attritio debet esse de omnibus peccatis occurrentibus, nec est necesse, ut de singulis peccatis singulæ eliciantur contritiones, sed sufficere potest unus contritionis actus respiciens omnia peccata, uti clare insinuat *Ezechiel c.* 18. dum ait: In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius.

Motiva Contritionis.

1.

Est intrinseca peccati mortalis gravitas, infinitam in ratione offensæ involvens malitiam, cum sit contra infinitam Majestatem & bonitatem divinam, quæ ne minimo quidem peccato, vel ob mille etiam mundorum salutem foret offendenda.

2. Est effectus hujus malitiæ, quæ quantum in se est, ipsum DEum, omnia ejus attributa, & perfectiones destruere, imo & DEum ipsum de sede divinitatis suæ exturbare, ac veluti pedibus ignominiosissime calcare conatur; peccator quippe a DEO, ut fine ultimo se avertens, & per peccatum ad creaturam, ut finem ultimum se convertens, implicite vult DEum non esse finem ultimum, ac consequenter nec omnis perfectionis & bonitatis fontem.

3. Extensio hujus effectus quo *Hebr.* 10. Filium DEI conculcat, sanguinem ejus pollutum ducit, eundem rursus crucifigit, ac dum vitam & passionem ejus reddit infructuosam, habet ostentui. Hinc bene dici potest peccatum compulisse Filium DEI, ut fieret homo, diram adeo subiret passionam, tot contumelias, tot irrisiones, tot flagella, tot sufferet vulnera, ageretur in crucem, mortem denique pateretur acerbissimam. Et quidem hæc omnia sine fructu, nisi peccator DEO reconcilietur.

4. Quod peccatum animam expoliet gratia divina, amicitia, & amore tam DEI in nos, quam nostro erga

DEum, nec non virtutibus, & donis ſupernaturalibus, adeoque ſpirituali nitòre ac pulchritudine privet, fœdiſſimaque macula conſpurcet.

5. Quia per peccatum peccator odioſus fit Deo, Angelis, & hominibus. Pro plurimis ſibi a Deo præſtitis beneficiis omnium mortalium redditur ingratiſſimus ſervus, quin & Diaboli mancipium efficitur.

6. Per peccatum anima peccatoris deletur de libro vitæ, ab æterna gloria, viſione DEI; ſocietate Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virginis, omniumque Sanctorum æternaliter excluditur.

7. Peccatum pœnis inferni ſempiternis animam peccatoris addicit, omniumque damnatorum ſocium, & conſortem facit. Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat. Hæc volve, & revolve & indubie corde & animo compungeris.

Secunda Pars Confeſſio.

Confeſſio eſt Sacramentalis & ſecreta omnium peccatorum, quæ poſt accuratum examen memoriæ occurrunt, Sacerdoti facta accuſatio, quæ ut fiat exacte, veſtita debet eſſe quibusdam qualitatibus, quæ pervetuſtis ſequentibus verſiculis continentur:

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
  Atque frequens, nuda, & diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, & lacrymabilis, accelerata,
  Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Confeſſio ergo debet eſſe *Diſcreta*, videlicet juxta præſcriptum prudentiæ omnibus circumſtantiis rite præſentatis. *Humilis*. Tum interius, tum exterius cum debita animi dimiſſione, orta ex cognitione peccatorum ſuorum. *Pura*: bona intentione & fine facta. *Fidelis*: expers omnis mendacii. *Integra*: Nullum peccatum ſaltem mortale ſubticeatur. *Secreta*: ne ſaltem absque gravi neceſſitate & cauſa fiat aliis audientibus. *Lacryma-*

mabilis: cum debito dolore conjuncta. *Accelerata*: ut mox post admissum peccatum habita Confessarii copia fiat. *Frequens*: ut frequenter eluantur maculæ, quæ quotidiana conversatione contrahuntur. *Nuda*: ut clare, & absque verborum involucris fiat. *Simplex*: absque impertinente verborum multiloquio minimeque necessariis narratiunculis. *Libens*: ut non animo invito, sed voluntario fiat. *Verecunda*: erubescendo interius de turpitudine & fæditate animæ propriæ, & exterius cum aliquali erubescentia peccata apud Confessarium exponendo. *Fortis*: ut quis non obstante verecundia humana, vel timore peccata sua aperiat. *Accusans*: ut sit cum dolore & pœnitentia peccati, & non sit excusans. *Parere parata*: mandatis videlicet Confessarii in iis, quæ ad Confessionem pertinent, ut sunt: Pœnitentia injuncta, & fuga peccatorum.

Tertia Pars Satisfactio.

Satisfactio deniqe est compensatio pœnæ temporalis ob injuriam DEO a peccatore per peccatum illatam debitæ in operibus pœnalibus & laboriosis a Confessario taxatis consistens: cum enim post peccati mortalis remissionem, per quam tollitur reatus pœnæ æternæ, nonnunquam temporalis quædam pœna luenda restet, ut tradit *Conc. Trid. Sess.* 14. *de pœnit c.* 8. *& Can.* 12. *&* 13. Hinc Jure meritissimo satisfactione aliqua erit compensanda. Ad satisfactionem autem spectat, ut peccator pro admissis peccatis cum pleno animi dolore satisfaciat, quod ni integre fecerit in hoc mundo, necessario illi faciendum erit in Purgatorio, cujus pœnæ sui magnitudine, attestantibus sanctis Patribus, excedunt omnia tormenta, quæ sancti Martyres in hac vita pertulerunt. Omnes autem satisfactiones ad tria genera videlicet: Sacrificium Missæ, orationem, & Opera quævis pænalia, sub quibus comprehenduntur & Indulgentiæ, reducuntur.

Oratio ad excitandum dolorem post Examen conſcientiæ meditabunde recitanda.

Quid ergo mi Domine DEus feci, aut quid cogitavi? debui te Creatorem meum amare ſuper omnia, idem tecum velle & nolle, in te ſolo confidere & tibi credere. Sed eheu! diviſum fuit cor meum, & ad nihilum redactus ſum. Ecce manus mea, & lingua mea protulerunt vanitates & inſanias falſas. Ecce peccata mea circumdederunt me undique, & iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & demerſerunt me iu profundum abyſſi. Ah! utinam Domine DEus meus nunquam Majeſtatem tuam offendiſſem. Utinam pravas inimici ſuggeſtiones non audiviſſem! neſcio O! DEus meus, Creator meus, Redemptor meus, quomodo ſic oblitus fuerim tui, qui nunquam non recordaris mei! mei inquam, qui nihil ſum. Ecce enim omnes gentes ſunt coram te, quaſi non ſint, & quaſi nihilum, & inane reputantur. Quis dabit mihi fontes lacrymarum, ut plorem die & nocte; quia dereliqui fontem aquæ vivæ, & peccavi in cœlum, & coram te, qui tribus digitis appendis orbem, & omnia opera noſtra in nobis operaris. Verum ſemperne ita? nunquam ne ſiccabitur fons iſte tartareus? nunquamne finis turpitudinis meæ? Medice animarum ſana animam meam: feciſti me, cum non eſſem, redemiſti me, cum periiſſem: mortuus eram, & ut ſer-

vum redimeres, te ipſum tradidiſti: & tantum me dilexiſti, ut ſanguinem tuum, non in pretium ſolum dares, ſed & in balneum, & lavacrum ſordium mearum in tuis Sacramentis. Accedo igitur ad te, ulcera denudo, ſordes aperio. Ablue, quæſo, quoniam ita vis, & dele omnes iniquitates meas pretioſo ſanguine tuo: & quia meam etiam requiris cooperationem, vulnera quæſo cor meum dolore perfectiſſimæ Contritionis, & percute baculo Crucis duritiem cordis mei, ut fluant ubertim aquæ ex oculis meis. Quid agis anima mea, en Chriſtus JEſus ſanguinem ſuum tibi dat in medicinam: adeone tu dura es, & inſenſata, ut modicas tibimetipſi lacrymas deneges? O! duritia cordis mei, cur non emolliris, cur non contereris tanta DEI dignitate, & miſeriæ tuæ agnitione? ſanguis hirci adamantem frangit, & ſanguis Chriſti animi duritiem non emollit? Commove Domine, interiora mea validius, & contere durum cor meum, ut in lacrymas ſolutum doleat, & quæ commiſi, & diſcat impoſterum tuam exequi voluntatem. Amen.

Animo ita diſpoſito, ac parato, imaginare Chriſtum coram velut e Cruce pendentem, vel vulneribus & ſanguine cruentatum, oculis ad te blande converſis illacrymantem, eumque toto affectu lente & amoroſe alloquere in hunc modum.

Domine JEſu Chriſte animarum noſtrarum amator ardentiſſime, qui propter nimiam charitatem, qua diligis nos, non vis mortem

peccatoris, ſed magis, ut convertatur, & vivat. Doleo ex intimo corde meo, quod te DEum meum Patrem amantiſſimum, ac benigniſſimum Redemptorem, cui omnia peccata vehementer diſplicent, offenderim, qui me uſque adeo dilexiſti, ut pro me ſervo viliſſimo, ſanguinem tuum pretioſum fundere, & mortem acerbiſſimam ſubire dignatus ſis. O! bonitas infinita DEus meus! utinam te nunquam offendiſſem, qui infinite bonus es, & ſuper omnia cordis mei deſiderabilis, amabilis. Ignoſce bone JEſu, ignoſce miſericordiam petenti: miſerere peccatoris, pro quo apud Patrem tuum vox ſanguinis interpellat. Condono ego amore tui, mi ſuaviſſime Domine, omnibus, qui me unquam offenderunt, firmiterque ſtatuo univerſa peccata fugere, eorumque occaſiones omnes declinare, ac denique, quæ contra immenſam bonitatem tuam commiſi, in amaritudine animæ meæ confiteri, ac te DEus meus propter temetipſum ſuper omnia in æternum amare. O! Dulciſſime IEſu da mihi hanc gratiam. Amen.

Oratio ante Confeſſionem Sacramentalem.

Suſcipe Confeſſionem meam piſſime ac Clementiſſime Domine JEſu Chriſte, unica ſpes ſalutis animæ meæ, & da mihi obſecro contritionem cordis mei, & lacrymas oculis meis, ut defleam diebus, ac noctibus omnes negligentias

meas

meas cum humilitate, & puritate cordis. Appropinquet oratio mea in conspectu tuo Domine, si iratus fueris super me, quem adjutorem quæram? quis miserebitur iniquitatibus meis? Memento mei Domine, qui chananæam & publicanum vocasti ad pœnitentiam, & Petrum lacrymantem suscepisti, Domine DEus meus, suscipe preces meas, Salvator mundi, JEsu bone, qui te Crucis morti dedisti, ut peccatores salvos faceres: respice me miserum peccatorem, invocantem nomen tuum, & noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. Et si commisi unde me damnare potes, tu non amisisti, unde salvare soles. Parce ergo mihi, qui es Salvator meus, & miserere peccatrici animæ meæ. Solve vincula ejus, sana vulnera Domine JEsu, te desidero: te quæro: te volo: ostende mihi faciem tuam, & salvus ero. Emitte igitur piissime Domine, meritis purissimæ, & immaculatæ semper Virginis Mariæ, & Sanctorum, lucem tuam, & veritatem tuam in animam meam, quæ omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, quos confiteri me oportet, atque juvet, & doceat ipsos plene, & contrito corde explicare. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Actus Contritionis Perfectæ.

Deus meus, summa bonitas, omnium creaturarum, tuoque ipsius amore sola, & infinite digna; doleo, quod tam impudenter te offenderim:

derim: doleo, non quia timeo, sed quia amo. Si sanguine meo fieri possit, ut non sis offensus, ecce me, discerpe me. Paratum cor meum. Si tormentis inferorum deleri possit, ecce me: nullum est, quod non merui: nullum, quod amore tui non præeligo peccato, quod tantopere odisti Si vides, qui omnia vides, quod aliquando, post quotquot annos, te offensurus sim, hoc potius momento acerbissima morte me tolle, quam permittas ad infelicissimum illud tempus supervivere. Amen.

In ipsa Confessione observanda.

Cum Confessarium accedis, utroque genuflexo, & nudo capite, facie, non ad vultum, sed ad latus Confessarii versa signabis te Cruce, ac dices: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Benedicite Pater Reverende. *Est post Benedictionem a Sacerdote datam prosequeris Confessionem generalem dicendo:* Confiteor &c. *usque ad verba:* mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. *Tum peccata tua recensebis juxta doctrinam superius datam. Enumeratis hoc modo clare, breviter, sine ambagibus, integre tamen, fideliter, ac humiliter peccatis subjunges:* De his, & omnibus peccatis & negligentiis meis doleo ex toto corde, propono firmissime emendationem, & peto pœnitentiam salutarem, & absolutionem. *Postea devote audies quidquid Confessarius vel suadendo, vel hortando dixerit, & denique pœnitentia cum absolutione accepta discedes.*

Post Confessionem.

Recedens a Confessione, conferes te ad locum aliquem separatum, aut saltem orationi accomodatum: & interim cogitabis tibi ab Angelo Custode, aut ab ipso Christo Domino dici: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Rursumque genuflexus adorabis Dominum dicens:* Ita est Redemtor clementissime, Medice humani generis amantissime: sanasti me sanguinis tui pharmaco pretiosissimo, oleum suavissimum ex lateris tui fonte sacratissimo haustum mihi saucio infundere non renuisti. O! Samaritane benignissime, agnosco tuum amorem, misericordiam infinitam amplector, vindicasti me a morte: Filium judicio & voluntate tua fecisti: hæreditatem vitæ æternæ ad me testamento tuo pervenire voluisti. O! miranda & stupenda cæcitas cordis mei, qui post tot, & tantas curationes misera ægritudine pereo, & manu Salvatoris toties tactus, morbis tamen conficior: Væ mihi misero: si tot medicamentis sanitati non restituar: si nihilominus corpore & animo vitiorum morbis ero obnoxius. Quid igitur faciam O! bone JEsu! tu adhibes medicinam, sed æger veneno delectatur: morbum propulsas, ille pestem sibi accersit: tu vulnera alligas, ille obductam cicatricem refricat: manum admoves, ille rejicit. Quid in te reperi summa bonitas, Domine DEus meus, ut tam alienum animum a te habeam, & quid in me inveni, quod tanto

dignum

dignum amore judicarem? Quoties Domine affirmare possum me ex faucibus mortis tua bonitate ereptum? Et quoties ego memet miser perdidi? Utinam digneris vel hac vice mentis meæ aperire oculos, ut me, & te ipsum agnoscam: me, ut fugiam tanquam pestem, te autem ut sequar sit tibi obsecro, meritis B. semper Virginis Genitricis tuæ Mariæ, & omnium Sanctorum grata, & accepta ista confessio mea, & quidquid mihi defuit, ad perfectionem contritionis, ad puritatem, & integritatem confessionis, suppleat pietas, & misericordia tua, Qui vivis, & regnas &c.

Et inde propositum renovabis, & quo ad poteris occasiones prospicies ac vitare decernes: Tum pœnitentiam explebis, orationes injunctas recitando. Addere poteris afflictionem aliquam corporis, aut in commode flectendo, aut quid simile; & eleemosinam largiri, saltem spiritualem pro proximis orando, & potissimum iis, qui male affecti sunt. Sic etenim tria bonorum operum genera expleveris.

Oratio ante Pœnitentiam dicenda.

Et quoniam O mitissime DEus! multiplicibus peccatis, & negligentiis meis maximam tibi irrogavi injuriam: Ideo etiam paratus sum divinæ Justitiæ tuæ perfectam satisfactionem, secundum quod vires meæ se extendunt, rependere. Igitur pœnitentiam illam a Confessario

nomine tuo mihi impositam, fideliter, summaque cum devotione persolvam. Et utinam tali devotione & amore eandem persolvere possem, ut majus tibi beneplacitum & oblectationem causarem, quam tibi per peccata mea contumeliæ, & injuriæ irrogavi. Quod ut perficere valeam; Ideo unio, & immergo hanc meam pœnitentiam in omnia opera satisfactoria, quæ dilectus filius tuus triginta tribus annis, Jejuniis, Vigiliis, & orationibus perfecit, & in unione illorum, offero tibi hanc orationem, & pænitentiam meam. Respice igitur amantissime Pater super me obligatissimum debitorem tuum sacris pedibus tuis advolutum, irrogatasque tibi injurias reciproco amoris obsequio rependere satagentem: tantamque mihi concede virtutem & gratiam, ut juxta sanctum tuum beneplacitum hanc orationem perficiam, & te non offendam deinceps amplius. Amen.

Instructiones pro Confessione Sacramentali utiliter instituenda.

Inter Asceticæ seu piæ vitæ exercitia nullum frequentius Confessione: sed cujus in multis exiguus, aut nullus est fructus; quia non tam veræ pietatis, & melioris vitæ studio, quam pro consuetudine obiter & perfunctorie peragitur.

I. Itaque cogita, quod pia Sacramenti pœnitentiæ frequentatio sit medium facillimum brevi magnos faciendi progressus in via perfectionis. Nam 1. per eam peccata & peccandi affectus exuuntur. 2. Virtutis & profectus spiritualis studium excitatur. 3. Gratia &

DEI charitas augetur. 4. Conſcientiæ puritas, tranquillitas, & ſecuritas acquiritur, horror mortis minuitur &c.

II. Excita, ſeu renova fervens deſiderium, firmumque propoſitum debita cum diſpoſitione, cura, ac devotione hoc Sacramentum Pœnitentiæ obeundi, idque intuendo:

1. Finem hujus Sacramenti, adeo pretioſum, qui eſt venia peccatorum, curatio languorum animæ, renovatio fervoris, augmentum meritorum, gratiæ gloriæ.

2. Modum adeo facilem & efficacem merita Chriſti ſibi applicandi, tantosque divinæ gratiæ theſauros participandi per crebrum, ſerium, affectuoſum hujus Sacramenti uſum.

3. Incitamenta huc utilia, qualia ſunt, DEI voluntas, qui unice deſiderat Sanctificationem noſtram, divinorum beneficiorum multitudo, peccatorum gravitas, vitæ brevitas, temporis gratiæ incertitudo, diſtricti Judicii metus, æternitatis horror, pœnarum alterius vitæ acerbitas &c.

III. Pete efficacem DEI gratiam, qua agnoſcas, deteſteris, aperias, & emendes peccata tua, per infinitam DEI miſericordiam, quæ tam benigne te ad pœnitentiam excitat, & exſpectat &c.

IV. Revoca in memoriam peccata tua, certa quadam methodo, qua juvari ſolet memoria. Vide ubi in DEum, in te ipſum, in proximum peccaveris, cogitatione, verbo, opere. Eaque collige *breviter*, omiſſis generalibus, & impertinentibus, ſeu non neceſſariis, & quæ ſub conditione a plerisque narrari ſolent, & quæ ad excuſationem ſui magis, quam accuſationem ſpectant. *Integre*, explicando omnium peccatorum, quæ conſcientiam gravant, ſpecies, numerum certum, aut veriſimilem, & circumſtantias neceſſarias, mutantes ſpeciem &c. *Clare*, certis, ſimplicibus & perſpicuis verbis ſingula exprimendo, certa a dubiis, materiam gravem a levi,

actum

actum deliberatum a ſubreptione, ſeu advertentiam ab inadvertentia, conſenſum plenum, a ſemipleno &c. ſecernendo.

V. Potiſſimum circa veram cordis Contritionem labora: ut de his, omnibusque peccatis, totius vitæ doleas ex ſolo & puro DEI amore &c. Deinde ut firmum & conſtans propoſitum concipias, hæc omnia, præſertim magis voluntaria, & in quæ ſæpius impingis, ſerio, emendandi, occaſiones eorum, & pericula fugiendi: DEO deinceps perfectius ſerviendi, & placendi. Et hæc omnia cum filiali fiducia Paternæ DEI miſericordiæ &c. Porro utiliſſimum erit, ſi aſveſcas frequenter hunc actum Contritionis, præſertim ante Orationem, in periculo lapſus, poſt lapſum, in tentatione, ante ſomnum, idque vel unico ſuſpirio: O! JEſu amo te, & quia te amo, doleo ex toto corde, quia offendi te: ſincere propono amplius in æternum te non offendere.

Tabula operum Pœnitentialium ultro aſſumendorum.

In Satisfactionem peccatorum præter pænitentiam aſſignatam poſſent hæc vel ſimilia ultro aſſumi:

1. Feria ſexta aut Sabbatho in hebdomada jejunare.
2. Culcitra vel duriore lecto cubare.
3. Carnem ſuam verberibus incuſſis affligere.
4. Veſtem cilicinam, vel id genus cingulum geſtare.
5. Expanſis brachiis, aut humi proſtratum orare.
6. Sanctorum Sepulchra vel Altaria devote viſitare.
7. Aſſidue ſacris officiis, Concionibus, vel piis lectionibus operam dare.
8. Media nocte laudare DEum, vel peccata, exemplo Davidis plangere.
9. Ad peccatoris alicujus converſionem ope vel conſilio adjuvare.

10.

10. Captare undique occaſionem exercendi opera miſericordiæ, tum temporalia, tum ſpiritualia.

11. Pro Peccatorum converſione, vel hœrethicorum frequenter orare.

12. Pro Fidelibus defunctis orationes, ſacrificia, eleemoſinas facere, vel procurare.

13. Orare mane & veſperi, & diligenter conſcientiam examinare.

14. Frequenter confiteri, communicare, libellos pios lectitare maxime de quatuor noviſſimis.

EXERCITIUM
Devote & affectuoſe communicandi.

Tria ſunt Sacrificiorum genera, unum Dominici Corporis, alterum contriti cordis, tertium mortificatæ carnis. Oportet igitur præcedere Sacrificium humilitatis in mente, afflictionis in carne, ut habeatur devotio in Dominici Corporis ſumptione. Ideo pridie animam purgare contritione, & Confeſſione, & abſtinentiam ſaltem aliquam facere convenit. *Secundo*: Actum aliquem charitatis erga proximum (quod ſaltem orando pro eo fieri poteſt) ut induatur anima veſte nuptiali. *Tertio* affectum erga creatum aliquod exuere, proponendo, aut ſi licet faciendo aliquem mortificationis actum, ut induere poſſit JEſum Chriſtum, quo reſpondeat valedictioni, qua JEſus Matri valedixit ante paſſionem; erat enim ipſa illi unicum prope ſolatium. *Quarto*: aliquem ſaltem actum humilitatis exercere, qui reſpondeat lotioni pedum.

Primo mane invita Dominum tuum dum expergiſceris convertendo te ſaltem templum verſus: tum audi illum dicentem: Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Reſponde: Deſidero te millies, cum affectu omnium Sanctorum, mi JEſu

quando

quando venies? Poſtea preces tuas perſolvens ſolitas eo applica ad ſingula gloria &c. Eidem. Spem & Charitatem exercendo. Tum de domo vade ad templum quaſi comitando Chriſtum ad montem Calvariæ, & compaſſionem excitando, atque intentionem renovando.

In Sacro: primo in Confeſſione ſeu ad Confiteor deteſtare omnes imperfectiones tuas uſque ad Evangelium & gratiam pete emendandi, & lege Miſerere & alias preces pro Indulgentia, maxime plenaria: Secundo: Paſſionem revolve uſque ad Sanctus. Tertio: Beneficia alia tum generalia, tum particularia uſque ad Communionem.

Tum communica ſpiritualiter invitando Dominum, ut digne poſtmodum valeas ſacramentaliter. Attende vero defectus & peccata, atque humilia te: poſtea invoca SS. Patronos, & maxime B. Virginem, ut ſicut ipſa in Incarnatione, Communione & morte aſpiravit ad Dominum, & ſe paravit, ita te adjuvare, & ad tanti hoſpitis adventum te comparare dignetur, ut pientiſſima Mater, uſque ad poſt-Communionem. Tum fidem excita ad imitationem Hæmorrhoiſſæ & S. Thomæ. Deinde amorem cum Magdalena & B. Virgine, & opta, ut DEum omnes infinite ament, Sancti, purgandi, juſti &c. Tum ad Benedictionem ultimam cogita quaſi cœlum aperiri, & SS. Trinitatem invoca, ut ad te veniat, & manſionem apud te faciat: Patrem, ut tibi iterum det Filium, & ut filius & Spiritus Sanctus ſeipſum, eiſque tres potentias dica, intellectum, memoriam, voluntatem, offerque facienda omnia: contritionem rurſus excita, & propoſita tua præcipua renova. Tum ſpiritualiter Dominum cœlitibus comitatum vide venientem, modo, ut Medicum, modo ut Patrem &c. ſemper ut omne bonum amantiſſime expecta & complectere: & mox ut ſe tradidit, te totum ei viciſſim trade, & millenos mundos, ſi haberes cum omni affectu poſſibili. Tum etiam humiliando, & cognoſcendo indignitatem tuam, opta cum omnibus Sanctis & creaturis eum ardentiſſime dili-

gere, & uni potentias potentiis ejus omnia tua ei offerendo. Præterea gratulare ei omnia bona ſua, & gratias age pro beneficiis. Demum poſt Sacrum pete cum magna fiducia, quod optas, cum virtus hic de illo exire ſolita ſit, ut imperfectiones tuas ſanet omnes: ſimulque cœleſtem curiam ſaluta, & ut tuos ſuppleat defectus, roga, & invita ut maneat tecum Dominus, ac rurſum illi te offer.

In Prandio ſtatue cultrum in gutture tuo, ne pecces in hoſpitem, ſed ei de ſingulis præbe ferculum, mortificando te, & applicando Paſſioni, quod tamen faciliter & abſque ſolicitudine fieri debet. De Vener. quoque Sacramento, ejusque laude, ſi potes, aliquid proximo diſſeras, quantum potes, tantum aude, quia major omni laude, nec laudare ſufficis. In Litaniis (ſi ut ſolent Veſperi a te recitentur) recordare hoſpitis tanti, invitando omnes SS. ſive per te ſive per Angelum. Ad Cœnam Cœnæ Euchariſticæ memoriam ronova, & ad manuum lotionem, lotionis pedum, quam Chriſtus exercuit, atque hic etiam mortifica te in aliquo aut cibo aut condimento, offerendo pro animabus in Purgatorio. Demum ſuſpira ad cœleſtem Cænam, & poſt hæc linguam tuam diligenter cuſtodi. Deindo ſaluta Vener. Sacramentum, convertendo te iterum verſus templum, & invita ſaltem in fine examinis JEſum cum Sanctorum omnium deſiderio, atque his incumbendo a Vener. Sacramento pete benedictionem

---

ORATIO.
ante S. Communionem.

O JEſu! millies deſideratiſſime, ecce nunc appropinquat hora, hora inquam, illa feliciſſima, qua te DEum meum in animam meam ſuſcepturus ſum! Ecce JEſu mi amabiliſſime,

cum

cum summa, qua possum, devotione, & reverentia venio ad te, & vado in occursum tui. Extende igitur sacratissimas manus tuas ad amplexandam animam meam, sicut easdem perforatas manus tuas inter maximos mortis dolores ad amplexandos omnes peccatores extendisti. Ego O! JEsu crucifixe, non solum manus meas, verum & cor & animam meam ad te amplexandum, & in cordis mei penetrale introducendum extendo. O! utinam talem ac tantam devotionem, talem ac tantum amorem, talem ac tantam munditiem, qua ullum unquam humanum cor ornatum fuit, in me haberem. O! utinam, & millies utinam omni virtute, omni desiderio, omnique devotione repletus essem. O! utinam & millies utinam omnium Angelorum puritatem, omnium Apostolorum charitatem, omnium Martyrum merita, omnium Confessorum Sanctitatem, omnium Virginum haberem puritatem & munditiem. O! utinam, & millies utinam tali devotione, reverentia, & amore te possem suscipere, sicut Beatissima Mater tua te in tua incarnatione, & postmodum in Sacramento suscepit. O! utinam & millies utinam tuum sacratissimum & divinissimum cor haberem, ut te ipsum in illud ipsum, tali quo dignus es, modo suscipere possem. Offero tibi JEsu dulcissime in condignam præparationem animæ meæ, & in suppletionem omnis indignitatis, omniumque negligentiarum mearum, universas præparationes, devotiones, affectus, & amores, quos om-

nes Sanĉti tui, maxime vero Beatiſſima Mater tua in hoc Sacramento habuerunt. Offero tibi JEſu ſacratiſſime, tuum ſuperdigniſſimum cor, omneſque ſupercœleſtes virtutes & gratias, quas Beatiſſima Trinitas in idipſum ſuperabundantiſſime contulit, ut iiſdem abyſſalis illa vilitas, & indignitas mea contegatur, tibique in anima mea digniſſimum, placidiſſimumque habitaculum præparetur. Amen.

Invitatio JESU.

O! JEſu ſuperdulciſſime, qui ipſemet dixiſti, dilitias tuas eſſe cum filiis hominum, te deſiderat anima mea, te affeĉtat cor meum. Invito te igitur tali devotione & amore, quali ulla unquam amantiſſima anima te ad ſe invitavit. Veni ergo dileĉtiſſime Sponſe animæ meæ, & diverte in pauperculum diverſorium cordis mei. Veni cœleſtis Medice, veni, & ſana infirmam animam meam. Veni amice millies dileĉtiſſime, & dita extremam paupertatem meam. Veni Sol amabiliſſime, & illumina denſiſſimas tenebras animæ meæ. Veni manna cœleſte, & ſatura nimiam eſuriem meam. Veni JEſu deleĉtabiliſſime, veni dileĉte votorum meorum, veni, & cœna mecum in vili cœnaculo cordis mei. Et licet nihil quod divinam tuam poſſit condecere magnificentiam, præparaverim, invenies tamen integram patinam bona voluntate, ſummoque affeĉtu in te refertiſſimam.

O! unice amor meus, ſummo tui teneor deſiderio, ſummoque te præſtolor amore. O! ſpe-

ciosiſſime

ciosissime inter filios hominum! O! fons super-effluentis dulcedinis! O! suavissima suavitas omnis delectationis! ah! veni ad me, & ne spernas pauperculum servum tuum.

Hic cum S. Gertrude lib. 4. c. 23. osculans Imaginem Christi dic: O! JEsu amabilissime, ex intimo cordis affectu te deosculans, rogo cum affectu omnium orationum, quæ unquam de corde tuo dulcissimo profluxerunt, ut ad hospitiolum cordis mei digneris declinare.

Suspiria ad JEsum ante Communionem.

Accende O! JEsu cor meum, quod tibi in holocaustum offero, igne amoris tui, omnesque terreni amoris flammas in eo exstingue, ut nihil in mundo placeat præter te, in amore tui vivere cupio & mori exopto.

Vox tua mi JEsu est: venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: in Cruce expansis brachiis me expectas, en venio. O! JEsu admitte me, obsecro, æternumque in amoris tui complexu tibi conjunctus permaneam.

Præcipitur mihi, ne appaream in conspectu tuo vacuus. Sed quid dabo tibi mi JEsu! accipe tuæ bonitatis dona, animæ meæ facultates, quas tibi in obsequium offero, memoriam, intellectum, voluntatem. Tui solius meminerim, nihil sciam extra te, nihil præter te amem, nec in ulla re mea, sed tua solius voluntas fiat.

O! mi JEſu, non habens olim, ubi caput tuum reclinares, veni in cor meum, & manſionem apud me fac. *Lucæ. 9.*

O! panis vitæ, qui nos reficis, & in te non deficis: quotidie comederis, & ſemper integer manes, comedam te, ut vivam de te. *S. Aug.*

Bone Paſtor, panis vere, JEſu mei miſerere, tu me paſce, me tuere, tu me bona fac videre in terra viventium. O! Ferculum Angelicum eſto mihi Viaticum ad mortis iter ultimum. O! Ferculum Angelicum, cor meum, quod eſt ſtabulum, fac, ut ſit habitaculum.

O! DEus meus, amor æternus, totum bonum meum, felicitas interminabilis, cupio te ſuſcipere cum vehementiſſimo deſiderio, & digniſſima reverentia, quam aliquis Sanctorum unquam habuit, & ſentire potuit. *Thom: Kemp. l. 4. de Imit. c. 17.*

Domine DEus meus, cum tali fide, & puritate te affecto hodie ſuſcipere, ſicut te ſuſcepit, & deſideravit Sanctiſſima Mater tua, & glorioſa Virgo Maria, quando Angelo Evangelizanti ſibi Incarnationis myſterium humiliter, ac devote reſpondit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum Verbum tuum. *Id. ibid.*

O! JEſu mi, cor meum inquietum eſt, cupit requieſcere in te! cupio O! JEſu mi, adhærere tibi, & eſſe tecum, quia dulcis eſt converſatio tua.

Reple cor meum O! JEſu, dulcedine amoris tui, ut mihi totus mundus ſordeſcat, & tu ſolus mihi dulceſcas.

Oratio


Potens lingua. Eccl. 21.
Dero Züng ist mächtig
Imperator, cœlitus inte
eam injuriarum ne offenderet, utpote
eam illæsa reliquit.
wolte Fridericus
vom Himel, er sol
dan sie pflege die
C.P.S.C.M.
Klauber Cath. Sc. et exc. A.V.

Oratio S. Bernardi ante Communionem ad B. V. Mariam.

Per te acceſſum habeamus, ad Filium tuum, O! benedicta inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater Salutis, ut per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis. Excuſet apud ipſum integritas tua culpam corruptionis noſtræ, & humilitas Deo grata noſtræ veniam impetret vanitati, copioſa charitas tua noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas glorioſa, fœcunditatem nobis conferat meritorum.

Domina noſtra, mediatrix noſtra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræſenta. Fac O! benedicta per gratiam, quam inveniſti, per prærogativam, quam meruiſti, per miſericordiam quam peperiſti, ut qui te mediante fieri dignatus es particeps infirmitatis & miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ & beatitudinis ſuæ JEſus Chriſtus Filius tuus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia DEus benedictus in ſæcula. Amen.

ALIA.

Dulciſſime JEſu, unicum cordis mei gaudium, O! vita animæ meæ; purifica, obſecro, per merita acerbiſſimæ Paſſionis & mortis tuæ cor meum ab omni labe peccati, & ab omni impuro, & terreno affectu, ut digne recipiam auguſtiſſimum Sacramentum corporis & ſangui-

nis tui. Immuta, & transforma me in te per purissimum illum amorem, quo complecteris me indignissimam creaturam tuam, ut in te, & secundum te vivam & moriar.

O! Angele mi benedicte, & Custos sanctissime assiste mihi in hac tam tremenda actione, comitare me ad hanc tam augustam mensam: Et quia modicum Spiritum habeo, offer tu, precor, Domino meo JEsu magnam illam devotionem, cum qua communicavit gloriosissima Virgo Maria, ut per ipsius merita, & tuam intercessionem, augeatur in me spiritus, & fervor devotionis, majoremque consequar gratiam, qua omnipotentem DEum, ac Dominum meum ardentius amem, & in æternum cum ipso tandem regnare merear. Amen.

Immediate ante Communionem.

Locum destinatum accede, genua flecte, manus pie complica, totumque corpus quam modestissime habe, & renova actum Contritionis, dicens cum ministro Sacerdotis: Confiteor &c.

Cum Sacerdos SS. Hostiam profert, adora Christum Dominum cum Centurione, & dicens primum Domine non sum dignus: *humilia te ob peccata sub omni creatura, & dole de iisdem. Ad Secundum considera beneficia DEI, & humilia te, quod iis non responderis. Ad tertium abyssum perfectionum DEI intuere, & tuarum miseriarum & peccatorum, & collige omnes affectus ex omni creatura in Deum, & vide Christum te, omniaque tua inspicientem.*

Vel:

Vel: Non ſum dignus &c. *Ad primum*, propter tuam divinam Majeſtatem. *Ad ſecundum*, propter meam vilitatem. *Ad tertium*, propter multa & maxima peccata mea.

Deferente Srcerdote Sanctiſſimum, tu excita in te interim actus Fidei, Spei, & Charitatis, pœnitentiæ, reſignationis &c.

Sumpta in os SS. Euchariſtia mox ſaluta, & adora Chriſtum Dominum, non quidem voce, aut lingua, ſed mente, atque affectu humillime dicens: Salve, ſalve, mi JEſu, ad te toto corde venio, quia amore langueo. Credo Domine, in te ſpero, & te toto corde diligo, quia in te, ex te, & per te ſunt omnia.

Affectus in ſumptione Corporis Chriſti mente & corde ardentiſſimo exercendi.

Jam quod quæſivi video, quod concupivi teneo, amore totus ardeo, te corde toto diligo. Affectu Mariæ Matris, & Joſephi tui Patris te JEſu ſuſcipio: omnes actus Angelorum omnes affectus Sanctorum tibi Jeſu offero. Intra cor meum te pono, meque tibi totum dono, ſis mi JEſu benedictus, iterumque benedictus ſis mi JEſu millies. Quod ſis factus cibus, potus, imo quod ſis meus totus, ſub hac panis ſpecie. Moribus fac ſim maturus, corde, ſenſibuſque purus, ſimultatis neſcius. Humilis, pauper, pudicus, voluptatum inimicus, patiens, & candidus. Quidquid agam, cogitabo, loquar, patiar, amabo, te DEus in

omnibus. Quoquo vis, eo me voca, & in illo ſtatu loca, in quo tibi placeam. Dominus meus, & DEus meus! quid mihi & tibi O! JEſu Fili Mariæ Virginis? O! res mirabilis! manducat Dominum pauper, ſervus, & humilis. Quis ſum ego ſervus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei?

O! Pater! dono tibi cor JEſu! O! JEſu, dono tibi cor Mariæ; dono tibi cor meum, licet indigniſſimum! O! JEſu! oſculor vulnera tua, oſculor pedes tuos! O! JEſu! amo te, ex toto corde, utinam non meo, ſed amore ardentiſſimorum Seraphinorum.

Ave dulciſſime JEſu amor meus! ave dulcedo cordis mei. Avete venerabiles manus pro me Cruci affixæ. Ave Latus ſpecioſum pro me vulneratum. Ave Cor ſuaviſſimum mei JEſu. Moriar mi JEſu inter deſideratiſſimos amoris tui amplexus, O! JEſu, gaudeo de omni bono, & gloria tua. O! JEſu, omnia peccata mea, & totius mundi commiſſa, quantum poſſum deteſtor propter te. O! JEſu, eſto mihi JEſus, & Salvator nunc & in hora mortis meæ. O! Domine totus ſum tuus, eroque in æternum, ſicut tu totus meus eſſe voluiſti.

Tibi vivant moveantur, & ad gloriam tuam operentur omnes ſenſus mei, & omnes potentiæ animæ meæ, DEus meus, & omnia! Propono firmiſſime nunquam, & in æternum velle tibi amplius exiſtere contrarium, cum proteſtatione, nulli tentationi, nullo ſiniſtro affectui conſen-

ſentire, maxime huic, vel his N. Quodſi vero prævides, qui omnia noſti, quod te adhuc vel unico peccato mortali offenderem, volo potius & rogo, intime mihi præſens Domine, ut me hoc momento tollas, vel annihiles, ne fiam inimicus tuus, & ne in æternum ſeparer a te. Te ſine non poſſum vivere, male mori.

Da mihi etiam veriſſimum contemptum omnium terrenorum, ut nec honores quæram, nec dignitates ambiam, aut voluptates ſuſpirem, ſed omnem honorem meum, omnes theſauros meos, & delitias meas, in te ſolo omnium bonorum fonte reſpiciam. Requieſcant etiam ſuper me dona Spiritus Sancti tui: Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilii, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & repleat me Spiritus timoris tui, ut his donis mobilis a te fiam, & in omni virtute perficiar.

Poſt S. Communionem.
obſervanda.

1.

Imaginare, quod videas mentis oculis ſpecioſiſſimum Puerum in medio cordis tui radiis ſplendidiſſimis circumfuſum.

2. *Admirare tanti hoſpitis apud te præſentiam. Ergone putandum eſt, quod vere DEus habitet ſuper terram. Quid? ergone corculum meum.* O! amor meus! locus eſt tuus, tuum templum, tua ſedes, tuum tribunal?

3. Gratias age, quas potes maximas, quia ad unum ſtabulum, ad unum graviſſimum peccatorem filius DEI deſcendit. Invita omnes creaturas ad gratias ei tecum referendas.

4. Conſidera poſtea, quæ fuerint loca minus digna, quæ tamen Chriſtus ſponte ingreſſus eſt, eaque glorificavit. Itaque his eum alloquere.

Æſtimo Domine te hodie intraſſe Stabulum Bethlehemiticum, in quo ſunt beſtiæ indomitæ, & effrenatæ paſſionum mearum, converte, obſecro, illud in ſacrum tibi Palatium Perſuadeo mihi te accubuiſſe in præſepi pleno ſtramine & paleis ſenſualitatis; converte illud, quæſo in Thronum gloriæ. Agnoſco te DEum meum intraſſe in infernum, tot dæmonibus plenum, quot anima mea inquinata eſt ſceleribus, converte illud, obſecro, in Paradiſum Angelorum.

5. Præterea exerce actus omnes, quos cogitatione concipere potes exercuiſſe S. Paulum raptum ad tertium cœlum: Et S. Magdalenam, quando poſt tot annos pœnitentiæ inter Angelorum melodias S. hoc Viaticum de manibus S. Maximi Aquenſis Epiſcopi ſuſcepit.

6. Conſidera attente, quid fecerit & dixerit B. V. Maria, quanto fervore & ardore gratias Deo retulerit, quando ſenſit ſe gravidam filio DEI. Et cum ea decantare poteris: Magnificat &c.

7. Imaginare, quod videas SS. Angelos ante SS. Hoſtiam proſtratos, & eam in corde tuo adorantes.

Actus Salutationis Christi.

Salve mundi salutare, salve, salve JEsu chare, cordi meo te aptare, vellem vere, tu scis quare. Ore meo te contingo, & ardenter ad me stringo. O! quam dulcis panis iste, qui te gustat JEsu Christe, tuo victus a dulcore, mori posset præ amore. Salve Sacee Christi vultus, cæsus, consputus, incultus, qui mutasti tuum florem, pro me versus in pallorem. Salve caput venerandum, totis votis amplexandum, quod diræ spinæ presserunt, & undique confixerunt. Ave caro delicata, flagris scissa, fatigata, quæ pro me pergens ad lethum, gustasti fel, & acetum. Ave Latus fons dulcoris, in quo pater vis amoris, te saluto cor amænum, cor omnibus bonis plenum. Manus, pedes perforatos, & cruore purpuratos, corde veneror, ac ore, interno ductus amore. Tuas mi JEsu sacratas, & mire vernantes plagas, nunc inscribe meo cordi, ut sim gratus tuo cordi.

Ave dulcissime & gratissime JEsu, desideratissime, & expectatissime, dignissime, & honorabilissime hospes, amorque mi JEsu, o! quam te libenter in hac paupercula domo mea video.

Benedictus sis infinities JEsu dulcissime, amor meus, benedicta sit caro tua, sanguis tuus, anima tua, divinitas tua, quod venire dignatus sis ad me. Benedicta sint omnia membra corporis tui, omnes guttulæ sanguinis tui. Benedicta sit unio hypostatica. Benedicta sit sacratissi-

ma divinitas, & omnes divinitatis Personæ, quæ cum carne & sanguine tuo concomitanter ad me hodie venire dignatæ sunt.

Actus Adorationis.

Saluto, & adoro te augustissimum Sacramentum adorationibus omnium hominum & Angelorum usque ad diem Judicii duraturis.

Agnosco te o! divinissimum Sacramentum in pectoris mei sacrario, inibique te tota cordis mei præparatione adoro, & glorifico. Adoro te Corpus, & sanguis dulcissimi amoris mei JEsu Christi.

Adoro te adorationibus omnium animarum Purgatorii, & omnium Sanctorum jam in cœlo triumphantium, & omnium Creaturarum, quæcunque fuerunt, sunt, & erunt.

Saluto te Domine, illa præcipue Salutatione, qua te SS. Mater incarnatum, genitum, redivivum, in Eucharistia ad se venientem solita fuit salutare. Illa, qua te Sancti, cum primum in cœlum veniunt, salutare solent. Illa, qua tu Patrem cœlestem, & qua te Pater cœlestis, unaque omnes Angeli cœlum ascendentem salutavere.

Laudo, & adoro te SS. Sacramentum tot laudibus, quot ore proferri, quot corde omnium hominum excogitari unquam potuere vel possunt.

O! adorande, & divinis tantum modo amoribus sat digne redamande amor meus, inassumo etiam

etiam omnium creaturarum possibilium adorationes, & amoris affectus, omnesque illos ante te amor meus JEsu dulcissime, plena hilaritate effundo, eosque omnes tibi impendo, & affectum hunc in omne momentum & æternitatem continuare cupio, ac quantum possum continuo.

Actus Oblationis.

Quid retribuam tibi Domine JEsu pro omnibus, quæ tu tribuisti mihi? quomodo te non amabo dulcissime hospes, amorque mi JEsu? aut potius quomodo amabo te? Non est quidquam in omnium rerum universitate pretiosius temetipso mi JEsu! Itaque te ipsum cum tua divinitate, humanitate, gratia, donis, meritis, gloria, omnibusque divitiis tibi offero. Offero & omnium justorum ab origine mundi usque ad ejus consummationem virtutes & merita, ac pios affectus erga te dulcissime JEsu in Venerabili Sacramento existentem.

Quidquid mi Domine habeo, quidquid sum, quidquid possum, tibi penitus trado, ut me totum tibi vindices. Imo in simplicitate cordis mei lætus offero tibi universa. Dispone de me DEus meus, de bonis fortunæ, corporis, & animæ, dispone de me toto in tempore & æternitate. Utere me velut re tua, meis omnibus, fama, vita, fortunis, corpore, anima, ad arbitrium tuum. Offero corpus in victimam, cor in templum, vitam in holocaustum, vires omnes, & facultates in obsequium. Et sicut tu te mihi to-

tum tradidisti in nutrimentum animæ meæ, ita ego totum me tibi in æternum dono, ac consecro. O! quam libenter te mi JEsu excipio, O! quam cupio digne tractare te! O! utinam ab initio semper fuissem secundum cor tuum! utinam nunquam te offendissem! confidentius irem in tuos amplexus sanctissime amor nunc autem conscius pudor rejicit animam meam ad pedes tuos hærentem.

Actus Petitionis post S. Communionem.

O! Dives Domine in misericordia & miserationibus, cujus sapientiæ & bonitatis infinitus est Thesaurus, miserere tam magni mendici, cujus hodie pauperculam domum visitasti. Benedic mi JEsu hospes amantissime toti corpori, animæ, sanguini, visceribus, vitæ, membris, in quibus receptus, es & hodie moraris. Benedic linguæ meæ, labiis, pectori, palatui, atque illi horæ, momento quo ad me venisti, Benedic omnibus cogitationibus, consiliis, operibus, sermonibus, officiis, muneribus, motibus, meis. Extingue in me omnia terrena desideria, & succende me ignita vi amoris tui, ut sim tecum consummatus in unum, omnino distractus a meipso, & ab omni creatura. Dirige me in via tua, & doce me facere voluntatem tuam. Auge in me fidem, spem, charitatem, & reliquas virtutes statui meo necessarias. Da mihi veniam peccatorum meorum, quæ multiplicata sunt super numerum are-

næ maris. Da usum salutarem hujus Sacramenti, & concede, ne unquam te in mortali peccato suscipiam, & ne sine hoc viatico decedam ex hac vita.

Miserere omnium, pro quibus orare teneor, præcipue Parentum, consanguineorum, amicorum, benefactorum in spiritualibus & temporalibus & N. Respice Domine omnes ægrotos, afflictos, tentatos, agonizantes, & in quacunque necessitate & periculo constitutos. Respice misericors Domine omnes Reges, Principes & gentes Catholicas, Respice omnes Hæreticos, Schismaticos, Judæos, & totum Ethnicismum, omnes gentes a Fide alienas, & omnes in peccato mortali existentes, ac obstinatos peccatores: da illis gratiam, ut resipiscant, & ad te convertantur. Miserere Domine omnium inimicorum meorum. Succurre omnibus, qui se meis precibus commendaverunt, & pro quibus orare debeo.

Da omnibus vivis gratiam, & veniam, animabus fidelium defunctorum lucem, & requiem sempiternam. Amen.

Ad Beatam Virginem & Sanctos.

Respice in me gloriosissima Virgo Maria, quia nunc habeo in corde meo amantissimum filium tuum JEsum, illum ipsum hodie mihi dono datum, tibi repræsento, & offero tuis brachiis constringendum, tuo ore exosculandum, tuo corde amandum, & una mecum adorandum.

Sancti Angeli, Sancti Archangeli, Cherubim, & Seraphim aſpicite Primogenitum Patris æterni, quem introeuntem in orbem terrarum juſſu Patris adoraſtis, adorate nunc eundem in corde meo, cantate illi pro me: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Omnes Sancti & Sanctæ DEI, vos præſertim Patroni mei, amate in corde meo, laudate, & magnificate mecum hunc Dominum meum, qui eſurientem implevit bonis, & reſpexit ſuper canem mortuum ſimilem mei. Amen.

Conclude:

Anima Chriſti ſanctifica me. Sanguis JEſu lava me. Paſſio JEſu conforta me. Vulnera JEſu ſanate me. Cor JEſu reſpice me. Spiritus JEſu anima me. Bonitas JEſu reconcilia me. Pulchritudo JEſu attrahe me. Humilitas JEſu deprime me. Manſuetudo JEſu mitiga me. Pax JEſu pacifica me. Amor JEſu inflamma me. Gratia JEſu reple me. Miſericordia JEſu ſalva me. Sanctitas JEſu conſecra me. Puritas JEſu emunda me. Crux JEſu ſuſtenta me. Clavi JEſu configite me. Spinæ JEſu coronate me. Fel JEſu inebria me. O! JEſu! benedic me, in vita, & in morte, in tempore, & in æternitate. Amen.

Deprecatio pro felici morte.

O! Corpus Domini mei JEſu Crucifixi cuſtodi animam meam migrantem in vitam æternam. O! JEſu! eſto mihi JEſus, in vita, & in


Hæc est una
nrō prudentum.
Das ist eine von der Zahl
der Weisen.
S. Juliana V. et M. dæmonem
sensionum alligatum, verberatumq;
in locum plenum sordibus abjecit
grunnientibus communem.
Die H. Juliana hat den Teüfel des
Zwytrachts gebunden, von ihrer Woh-
nung aus, in ein unflätiges Ort mit
peitschen gezogen, das eigen
dienen, so iñer gern
gro- nen.
C.P.S.C.M.
Klauber Cath. Sc. et exc. A.V.

morte. O! pretiofe fanguis Domini mei, fac, ne tuus infinitus valor & pretium pereat in me. O! mi dulcis JEfu pro fuprema illa neceffitate fupremam tuam mifericordiam imploro. Illam gratiam peto, per Mariæ, & omnium Electorum tuorum merita, cum qua vides gratum me fore tibi in æternum. Suggere Domine mi iis, qui circa me tunc erunt, fuggere illa, quæ maxime vis fieri a me.

Anticipato benedic mihi mifericors Domine, benedic mihi morituro. Et dum Spiritus vitales deficient, mortuaque lingua non poterit hoc tuum fuaviffimum Nomen eloqui: agnofce tamen tunc creaturam tuam, non a diis alienis creatam, fed a te folo DEO vivo & vero, non pereat in malicia fua, quod operata eft bonitas tua.

Pulfant ad oftium tuum o! JEfu crucifixe defideria rugientium præcordiorum meorum, ut in æternum non avellar a te. Noli me o! DEus, in æternitatem plenam ætumnarum condemnare, qui pro me ad Crucem damnatus es. Non expedit, ut hæc lingua mea, quæ tunc pretiofo fanguine rubefcet, in æternum cum dæmonibus blafphemet te. Ne patiaris mi JEfu! fanguinem tuum pretiofum perire in me, fuoque fructu privari, quem pro falute noftra effudifti. Ne patiaris Salvator Clementiffime tantos labores tuos, quos noftri caufa pertulifti, fieri irritos, tantum pretium ne fuftine in vanum fuiffe

expensum: sed compleatur in nobis fructus Passionis tuæ, labor tuus in nobis proficiat, mors tua in nobis vitam operetur. Qui vivis, & regnas &c.

Fructus SS. Eucharistiæ, ad devotam ac frequentem Communionem sæpe considerandi.

Sacratissimum Corporis Christi Sacramentum. 1. Remittit peccata præterita, quæ sine pœnitentis culpa sola oblivione exciderunt. 2. Confirmat, & roborat adversus futura. 3. Debilitat vitiosos animi impetus. 4. Tentationes undecunque exortas minuit. 5. Ad pietatis studium incitat. 6. Intellectum illuminat. 7. Affectum inflammat. 8. Consortat spem. 9. Naturæ debilitatem roborat, & cor consortat. 10. Exhilarat conscientiam. 11. Participes nos facit meritorum Christi. 12. Dat pignus gloriæ. 13. Armat, ut fortes, ac strenui cum diabolo decertemus. 14. Alacres facit ad actiones virtutum. 15. Mire juvat in adversis. 16. Pœnas peccati minuit. 17. Præcipue ad perseverantiam finalem necessarium est. 18. Denique nos DEO conjungit, unit, incorporat, & deiferos facit; qui primus & ultimus, adeoque summus est Eucharistiæ fructus.

Exercitium Refectionis.

Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam DEI facite, hortatur D. Paulus 1. *Cor.* 10. Quocirca ut recte ejus pareas consilio.

3. Priusquam consuetam sumas refectionem, intentionem tuam ad DEum diriges, & constitues apud teipsum, quia non ad voluptatem, sed ad necessitatem, & ut voluntati Domini te subdas, qui voluit homines alimenti-

menti indigos facere, & pro ejus amore, ac ut vires ad curandam salutem tuam habeas, utque proximis servire possis, cibum sumes. Unde benedictionem mensæ solitam attente ac devote recitabis dicens:

Benedictio mensæ die binæ refectionis in prandio:

Benedicite. Occuli omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Gloria Patri &c.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. *Pater noster &c.*

OREMUS.

Benedic Domine hæc dona tua, quæ de tua largitate sumus sumpturi. Per Dominum nostrum &c.

Benedictio: Mensæ cœlestis participes faciat nos Rex æternæ gloriæ. Amen.

Gratiarum actio.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: & Sancti tui benedicant tibi. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in Principio, & nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Agimus tibi gratias omnipotens DEus, pro universis beneficiis tuis. Qui vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Psalmus. Miserere mei DEus &c.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. *Pater noster &c.*

Disperſit dedit pauperibus: Juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi. Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus ejus in ore meo. In Domino laudabitur anima mea: audiant manſueti & lætentur. Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen ejus in idipſum. Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc & uſque in ſæculum. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. Amen.

Benedicamus Domino: DEO gratias.

Ac tandem dicitur Pſalmus: De profundis &c. *cum Collecta* DEus veniæ largitor &c. ut infra pag. 418.

Benedictio menſæ in Cœna.

Benedicite - Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum, vivent, corda eorum in ſæculum ſæculi. Gloria Patri &c. *ut ſupra.*

Benedictio: Ad Cœnam perpetuam perducat nos Rex æternæ gloriæ.

Gratiarum actio poſt Cœnam.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum: miſericors, & Miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Gloria Patri &c.

Benedictus DEus in donis ſuis, & Sanctus in omnibus operibus ſuis, qui vivit per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſalmus.

Psalmus.

Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi. Quoniam confirmate eſt ſuper nos miſericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri &c.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter &c. ut ſupra.

Poſt Verſum: Benedicamus Domino &c.

Fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace. Amen.

Diebus unicæ Refectionis omnia dicuntur ut in Cœna, præter Benedictionem quæ eſt: Menſæ cœleſtis &c. *& orationem quæ eſt:* Agimus tibi gratias &c. *& dicuntur Pſal.* Miſerere, & De profuudis.

In Collatione Veſpertina.

Benedicite. Largitor omnium bonorum benedicat cibum & potum ſervorum ſuorum. Amen.

2. *Menſæ modeſte aſſidens ſervabis, quot ſuadet S. P. Bernardus: Cum comedis, non totus comedas, ſed attendas lectioni, ſi fueris ubi legatur: ſi vero non legitur ibidem cogita de DEO, ut uterque homo propria ſit refectione refectus. Cogitabis proinde:* Die Dominico *Cœleſte epulum, in quo Angeli & Beati homines cum Chriſto, ejuſque Matre ſatiantur a gloria DEI, & potantur torrente voluptatis ejus.* Die Lunæ: *Chriſtum Dominum infantem in brachiis Virginis ab ea lactari & paſci.* Die Martis: *Eundem jam grandiorem, & menſæ accumbentem cum eadem Virgine & Sancto Joſeph in Nazareth.* Die Mercurii: *Chri-*

ſtum in deſerto veſcentem poſt jejunium quadraginta dierum miniſtrantibus illi Angelis, & de victoria adverſus Dæmonem reportata congratulantibus. Die Jovis: *Eum in ultima cœna cum Apoſtolis manducantem.* Die Veneris: *In cruce felle potatum.* Die Sabbathi: *Conſidera Beatam Virginem inter medios Angelos ipſi miniſtrantes veſcentem, vel menſæ tuæ benedicentem, atque miſericordiæ ſuæ melle cibos tuos condientem; hoc enim ab ea ſæpe impenſum eſt beneficium ſuis Cultoribus.*

3. *Inter manducandum temperantiæ, & ſobrietatis memor eris, & attendes, ut non modo non comedas, aut bibas: præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe. Verum etiam, ut ſemper te in aliquo mortifices, id eſt, quod magis arridet, Chriſto Domino offeras, & gulæ eripias, & pro animabus Purgantibus offeras: ut eo illæ, & tu fruaris in æternum. Qui quærit ſaporem loci non poteſt percipere dulcedinem cœli, inquit S. Bernardus. Et S. Auguſtinus:* Hoc me, ait docuiſti Domine, ut ſicut medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.

Exercitium Orationis Vocalis.

Oratio a SS. Patribus, ſignanter a S. Auguſtino definitur, quod ſit Converſio mentis in DEum per pium & humilem affectum. Eſtque nihil aliud, quam actus virtutis Religionis, quo homo DEO omnium bonorum Authori & Principio ſubditum ſe eſſe agnoſcens, ſupplicat pro aliquo bono impetrando. Hinc Oratio in anima ex parte intellectus ſupponit 1. cognitionem Divinæ ſummæ Excellentiæ, Potentiæ & Bonitatis, quam ſequi debet firma fides, & ſpes ſeu fiducia, rem poſtulandam a DEO impetrandi, utpote qui poſſit, quia ſumme po-

tens

tens eſt, & qui velit, quia ſumme bonus & fidelis eſt in ſervandis tot, & tantis promiſſionibus factis, orantibus ipſum. 2. Oratio in anima etiam ſupponit cognitionem ſuæ ad DEum ſubjectionis, dependentiæ, indigentiæ, ſeu impotentiæ, & infirmitatis, atque nihileitatis, nimirum, quod homo ex ſe nihil ſit, nihil poſſit, nihil mereatur; in fieri, in eſſe, in conſervari, & operari unice a Deo dependeat, & ab eo omnia bona acceperit, quam cognitionem ſequi debet in anima humilis ſui ipſius ſubmiſſio ad DEum omnium bonorum Authorem, & principium, cum humili voluntate DEum orandi pro bono deſiderato impetrando, juxta illud *Eccleſ.* 35. oratio humiliantis ſe nubes penetrabit.

Ante orationem itaque præparandus eſt animus, ut ſibi perſuadeat, is, qui orationem facere inſtituit, agere ſe velle cum Deo, eum compellare, infirmitates ſuas illi exponere, opem ejus implorare &c. Oportet itaque in tantæ Majeſtatis conſpectu, & præſentia animo eſſe præſentiſſimo, menteque in DEum attentiſſima. Atque hæc perſuaſio & propoſitum ſubinde in decurſu orationis repeti, & ſubjici menti debet. Danda pariter opera, ut ſenſus, viſus potiſſimum, & auditus bene comprimantur, & abſtrahantur ab omnibus non neceſſariis objectis. Quocirca demiſſis oculis, vel certe iis in crucem aliquam vel imaginem, vel locum certum defixis, non hoc illuc effuſis, ac circumſpicientibus orandum eſt. Et quia melior eſt finis orationis quam principium, iſt eſt; quod magis incaleſcamus Dei amore, & virtutis deſiderio ſub orationis exitum, quam in illius exordio, curandum eſt, ut ad finem uſque deducatur omnis oratio. Solet enim Diabolus efficere, vel conari certe, ut interrumpamus orationem, ac imperfectam relinquamus, quo nimirum & perſeverantiæ in orando fructu, & ceteris orationis effectibus careamus, noſtramque DEus orationem rejiciat, tanquam mancam, & imperfectam, ac propterea ſe indignam, qui perfectiſſimus eſt.

OFFICIUM
DE
SANCTISSIMA TRINITATE.
AD MATUTINUM.

Benedicta sit sancta & individua Trinitas, nunc & semper, & per infinita sæcula sæculorum. Amen.

℣. Domine labia meà aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. DEus in adjutorium meum intende,

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum. Amen. Allel.

HYMNUS.

Quicunque vult serio animam salvare,
Tres personas credere, ipsas honorare
Tenetur, & precibus jugiter orare:
Unum DEum dicere, solum adorare.

Antiph. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEus Sabbaoth. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium, cum S. Spiritu.

℟. Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.

Oremus.



I. Biſschop F.

Oremus.

Omnipotens sempiterne DEus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Majestatis adorare unitatem: quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum &c.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. DEO gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam DEI requiescant in pace.

℣. Amen.

AD PRIMAM.

Benedicta sit Sancta &c. *ut supra.*

DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Trinitatem credimus summum Genitorem,
Sanctum ejus Filium nostrum Redemptorem,
Sanctumque Paraclitum gratiæ datorem,
Unum tandem dicimus DEum Creatorem.

Antiph. Gloria Patri, qui creavit nos, gloria Filio, qui redemit nos, gloria Spiritui Sancto, qui sanctificavit nos: gloria summæ & individuæ Trinitati, cujus opera inseperabilia sunt, cujus imperium sine fine manet.

Reliqua ut supra ad Matutinum.

AD TERTIAM.

Benedicta sit &c. *ut supra.*

DEus in adjutorium *ut supra.*

HYM-

HYMNUS.

DEum Patrem credimus, qui eum generavit.
Filium, de lumine lumen resultavit,
Procedentem Spiritum uterque spiravit;
Neuter horum genuit ipsum, vel creavit.

Antiph. Te invocamus, te laudamus, te adoramus, spes nostra, honor noster: libera nos, vivifica nos, O! beata Trinitas.

Reliqua ut supra.

AD SEXTAM.

Benedicta sit &c. *ut supra.*

DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Ad Patrem vox pertinet super baptizatum,
Quæ sonat ad Filium humane vocatum:
Figuræ susceptio columbæ volatum,
Credimus Spiritui paracleto datum.

Antiph. Charitas Pater est, gratia Filius, Communicatio Spiritus Sanctus. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus una est substantia, O! beata Trinitas.

Cætera ut supra.

AD NONAM.

Benedicta sit &c. *ut supra.*

DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

In Patre Potentia cuncta denotatur,
Filio Prudentia omnis declaratur,
Gloria Paraclito universa datur,
Qui cum Patre, natoque conglorificatur.

Antiph. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, in sæcula sempiterna, & benedictum nomen gloriæ tuæ, sanctum, & laudabile, & superexaltatum in sæcula: O! beata Trinitas.

Reliqua ut supra.

AD VESPERAS.

Benedicta sit, &c. *ut supra.*

Deus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Bonitate Filius Patris incarnatus,
Deque Sancto Spiritu ex Virgine natus,
Crucifixus, mortuus, atque tumulatus,
Resurgens a mortuis cœlo sublimatus.

Antiph. Te DEum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum Paraclitum, sanctam, & individuam Trinitatem toto corde, & ore confitemur, laudamus, atque benedicimus, tibi gloria in sæcula.

Cætera ut supra.

AD COMPLETORIUM.

Benedicta sit sancta, & individua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita sæcula sæculorum. Amen.

℣. Converte nos DEus salutaris noster.

℞. Et averte indignationem tuam a nobis.

DEus in adjutorium &c. Gloria Patri &c.

HYMNUS.

Et per ipsum erimus omnes judicati,
Beati ad gloriam æternam vocati,
Ad pœnas perpetuas mali condemnati,
Hæc omnia credere tenentur beati,

Antiph.

Antiph. Benedicta sit sancta Creatrix, & Gubernatrix omnium individua Trinitas, nunc, & semper, & per infinita sæcula sæculorum.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu.

℟. Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.

Oremus. Omnipotens sempiterne DEus, qui dedisti &c.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

Benedictio:

Benedicat & custodiat nos omnipotens & misericors Dominus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

COMMENDATIO.

Has laudes sic recolo, ut in Trinitate
Veneretur unitas, & in Unitate
Honoretur Trinitas, atque Pietate
Faciat me credere hoc cum Firmitate. Amen.

LITANIÆ
DE SANCTISSIMA TRINITATE.

Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
O! beata Trinitas audi nos.
O! adoranda Unitas exaudi nos.

Pater

Pater de cælis DEus.
Fili Redemptor mundi DEus.
Spiritus Sancte DEus.
Sancta Trinitas unus DEus.
Vera & una Trinitas.
Una & summa Deitas.
Sancta & indivisa Unitas.
Unitas in Substantia & Trinitas in Personis.
Una & par Potentia.
Una & coæterna Majestas.
Una & æqualis gloria.
Una & divina Trinitas.
Pater Creator,
Fili Reparator,
Spiritus Sancte Paraclete.
DEus unus in substantia, & trinus in Personis,
Pater Ingenite,
Fili Unigenite,
Spiritus Sancte ex utroque procedens,
Una Sancta Creatrix, & Gubernatrix omnium Trinitas.
Immensa æterni Patris Potentia,
Inscrutabilis Filii DEI sapientia,
Efficacissima Spiritus Sancti bonitas,
Una, & simplex divinitas,
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEus Sabaoth.
Sanctus DEus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis.
In quo vivimus, movemur & sumus,
Ex quo, in quo, & per quem sunt omnia,

Miserere nobis.

Rex

Rex ſæculorum immortalis & inviſibilis
DEus Abraham, DEus Iſaac, & DEus Jacob.
Qui eras, qui es, & qui venturus es,
Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, unus DEus, } Miser. nobis
Propitius eſto, Parce nobis ſanctiſſima Trinitas.
Propitius eſto, Exaudi nos ſanctiſſima Trinitas.
Ab omni malo. Libera nos ſanctiſſima Trinitas.
Ab omni peccato,
Ab omni ſuperbia & pertinacia,
Ab omni avaritia & cupiditate,
A gula & amore mundi,
Ab omni invidia & odio,
Ab ira, & omni mala voluntate,
Ab omni luxuria & immunditia,
Ab omni acedia & puſillanimitate,
A maledictione perpetua,
Per fortitudinem omnipotentiæ tuæ,
Per Majeſtatem gloriæ tuæ.
Per multitudinem miſerationum tuarum,
Per abundantiam bonitatis tuæ,
Per magnitudinem charitatis tuæ,
Per abyſſum Judiciorum tuorum.
Per altitudinem ſapientiæ & ſcientiæ tuæ,
Per divitias beatitudinis tuæ,
In die Judicii, } Libera nos ſanctiſſima Trinitas.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut te Dominum noſtrum adoremus, & tibi ſoli ſerviamus, Te rogamus audi nos.
Ut nomen ſanctum tuum in vanum non aſſumamus, Te rogamus audi nos.

Ut nec mente, nec corpore turpia unquam committamus,
Ut furtum non faciamus, nec quemquam contra justitiam gravemus.
Ut contra proximum falsum testimonium, vel mendacium nunquam loquamur.
Ut proximi bona nunquam concupiscamus, aut invideamus.
Ut ex toto corde, & tota anima, & ex tota fortitudine te diligamus,
Ut ad conspectum gloriæ tuæ nos perducere digneris,
DEus genitor, DEus genite, & DEus ex utroque procedens,

Te rogamus audi nos.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, redde nobis Patrem propitium.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi, propitius esto nobis peccatoribus.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi, dona nobis Spiritum Sanctum.
O! beata Trinitas audi nos,
O! Adoranda Trinitas exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster &c.

℣. Benedictus es Domine DEus Patrum nostrorum.

℟. Et laudabilis & gloriosus in sæcula.

℣. Benedictus es Domine in firmamento cœli.

℟. Et laudabilis & gloriosus & superexaltatus in sæcula.

℣. Benedicant te omnes Angeli & Sancti tui,
℟. Et laudent, & glorificent te in sæcula.
℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu.
℟. Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Omnipotens sempiterne DEus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere; & in potentia Majestatis adorare unitatem, quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis.

DEus innocentiæ restitutor & amator, dirige ad te tuorum corda servorum, ut Spiritus tui fervore concepto, & in fide inveniamur stabiles, & in opere efficaces.

Omnipotens sempiterne DEus, da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum, & ut mereamur assequi, quod promittis, fac nos amare, quæ præcipis.

Largire quæsumus Domine fidelibus tuis, indulgentiam placatus & pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offensis, & secura tibi mente deserviant.

Omnipotens sempiterne DEus infirmitatem nostram propitius respice, atque ad protegendum & salvandum nos, dexteram tuæ Majesta-

tis

tis clementer extende. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat, in unitate Spiritus Sancti DEus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino

℟. DEO gratias.

℣ Fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace

℟. Amen.

Symbolum S. Athanaſii.

Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam fidem.

Quam, niſi quisque integram, inviolatamque ſervaverit, absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica eſt, ut unum DEum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur.

Neque confundentes Perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes.

Alia eſt enim Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.

Sed Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una eſt divinitas: æqualis gloria, coæterna Majeſtas

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, Increatus Filius, Increatus Spiritus Sanctus.

Immenſus Pater, Immenſus Filius, Immenſus Spiritus Sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres æterni, sed unus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, & unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Ita DEus Pater, DEus Filius, DEus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Dii, sed unus est DEus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

Quia sicut sigillatim unamquamque personam DEum, ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur, ita tres DEos, aut Dominos dicere Catholica Religione prohibemur.

Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus Sanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii, unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius nihil majus, aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.

Ita

Ita ut per omnia, ſicut jam ſupra dictum eſt, & Unitas in Trinitate, & Trinitas in Unitate veneranda ſit.

Qui vult ergo ſalvus eſſe, ita de Trinitate ſentiat.

Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, ut Incarnationem quoque Domini noſtri JEſu Chriſti fideliter credat.

Eſt ergo fides recta, ut credamus, & confiteamur, quia Dominus noſter JEſus Chriſtus DEI Filius, DEus & homo eſt.

DEus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus, & homo eſt ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus.

Perfectus DEus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.

Æqualis Patri ſecundum divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem.

Qui licet DEus ſit & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Unus autem non converſione divinitatis in carnem ſed aſſumptione humanitatis in DEum.

Unus omnino, non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.

Nam ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo, ita DEus & homo unus eſt Chriſtus.

Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos tertia die reſurrexit a mortuis.

Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram DEI Patris omnipotentis, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala in ignem æternum.

Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

OFFICIUM
DE VENERABILI EUCHARISTIA.
AD MATUTINUM.

JEsum Regem adoremus, & memoriam suorum mirabilium veneremur.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. DEus in adjutorium meum intende

℟. Domine ad juvandum mea festina.

Gloria Patri &c.

HYMNUS.

Ave vivens hostia, veritas & vita,
Per te Sacrificia cuncta sunt finita.
Per te Patri Gloria datur infinita,
per te stat Ecclesia jugiter munita,

Ave vas Clementiæ, scrinium dulcoris.
In quo sunt deliciæ cœlici saporis.
Veritas substantiæ orta Salvatoris,
Sacramentum gratiæ, pabulum amoris,

Ave manna cœlicum verius legali
Datum in viaticum miſero mortali,
Medicamen myſticum morbo ſpiritali
Rorem dans Catholicum vitæ immortali.

Antiph. O! quam ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in Filios demonſtrares, pane ſuaviſſimo de cœlo præſtito, eſurientes reples bonis, faſtidioſos divites dimittens inanes.

℣. Panem de cœlo præſtitiſti eis Domine
℟. Omne delectamentum in ſe habentem.

Oremus.

DEus qui nobis ſub Sacramento mirabili Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue quæſumus, ita nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis & regnas &c.

℣. Domine exaudi orationem meam
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Benedicamus Domino
℟. DEO gratias.
℣. Fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace.
℟. Amen.

AD LAUDES.

JEſum Regem adoremus *ut ſupra.*
DEus in Adjutorium &c. Gloria &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Ave Corpus Domini munus es finale,
Corpus junctum Nemini, nobile localu,
Quod reliquit homini in memoriale,
Cum finali termino mundo dixit vale.
Ave plenum gaudium, vita beatorum,
Pauperum solatium, honor miserorum,
Grande privilegium hoc est viatorum
Quorum Sacrificium merces est cœlorum.
Ave virtus fortium obviam ruinæ,
Turris & præsidium plebis peregrinæ,
Quam insultus hostium frangere non sine,
Ne vi malignantium pereat in fine.
Antiph. Versus & Oratio *ut supra.*

AD PRIMAM.

JEsum Regem adoremus &c. *ut supra.*
Deus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Hic JEsus veraciter duplex est natura,
Non est partialiter, nec solum figura,
Sed essentialiter caro Christi pura
Latet integraliter brevi sub statura
Cœlo visibiliter caro Christi sita,
Formæ panis aliter latet hic vestita,
Solus novit qualiter, hanc qui ponit ita,
Potest hoc faciliter virtus infinita.
Antiph. Versus, & Oratio *ut supra.*

AD TERTIAM.

JEsum Regem adoremus, &c. *ut supra.*
DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut supra.*

HYM-

HYMNUS.

Sumptum non consumitur corpus Salvatoris,
Idem totum sumitur omnibus in horis.
Forma panis frangitur dente comestoris,
Virtus carnis tangitur morsibus amoris,
Christus nihil patitur inde læsionis,
Forma panis solvitur vi digestionis,
Tunc si Christus quæritur est in cœli thronis,
Sicut vult, hinc tollitur, datis vitæ donis.

Antiph. Versus, & Oratio *ut suqra.*

AD SEXTAM.

JEsum Regem adoremus *ut supra.*
DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Hoc ardoris calculo veni nos ignire,
Hoc amoris stimulo frange motus iræ,
Et eodem ferculo, quo nos vis nutrire,
Velis cordis vinculo fortiter vincire,
Moris est amantium invicem sitire,
Sic vult Rex regnantium charitatis miræ,
Ut arcana cordium possit introire,
Cibando fidelium intima subire.

Antiph. Versus & Oratio *ut supra.*

AD NONAM.

JEsum Regem adoremus &c. *ut supra.*
DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut supra.*

HYMNUS.

O! JEsu dulcissime cibus salutaris
Qui sic nobis intime tribui dignaris,

Mala noſtra deprime fletibus amaris,
Et affectus imprime quibus delectaris.
Nobis conſecrantibus iſtud Sacramentum
Et cunctis credentibus fiat nutrimentum,
Devote ſumentibus ſit delectamentum,
Male uſurpantibus fit hoc detrimentum.
Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

Ad Veſperas.

JEſum Regem adoremus &c. *ut ſupra.*
DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Jeſu vivens hoſtia, placa Majeſtatem
Sacramenti gratia confer ſanitatem,
Pauperum ſubſtantia, da æternitatem,
Domini memoria fove charitatem:
Vanitatem ſpernere, fac nos Conſolator,
Hoſtes dona vincere Chriſte propugnator,
Et quod doces credere JEſu reparator,
Per te tandem cernere da remunerator.
Antiph. Verſus, & Oratio *ut ſupra.*

AD COMPLETORIUM.

JEſum Regem adoremus &c. *ut ſupra.*
℣. Converte nos DEus &c.
DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Ave ſimplex Deitas Trinæ Unitatis,
Te laudamus Trinitas hoſtiis beatis,
Nos affligit pravitas fame egeſtatis,
Dapes nobis inclytas da æternitatis,

Vita,



Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui. Luc. 1.



C.P.S.C.M. Klauber Cath. Sc. et exc. A.V.

Vita, ſalus, gaudium, ſpes univerſorum,
Tu merces, & prœmium, ſalus beatorum,
Tibi laudes omnium corda devotorum
Concinunt in ſæcula uſque ſæculorum.

Antiph. Verſus, & Oratio *ut ſupra.*

COMMENDATIO.

Has horas Canonicas cum devotione,
Dixi in memoriam tui, JEſu bone,
Corporis Sanctiſſimi pia ratione,
Fac illud poſſideam, cœli regione. Amen.

LITANIÆ.

DE SANCTISSIMO NOMINE JESU.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudinos.
Pater de cœlis DEus. Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEus. Miſerere nobis.
Spiritus Sancte DEus. Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus DEus. Miſerere nobis.
JEſu Fili DEI vivi.
JEſu Fili David.
JEſu Sanctiſſime.
JEſu Fili Mariæ Virginis.
JEſu Potentiſſime.
JEſu fortiſſime.
JEſu perfectiſſime.
JEſu glorioſiſſime.
} Miſerere nobis.

JEſu mirifice.
JEſu jucundiſſime.
JEſu chariſſime.
JEſu clarior Sole,
JEſu pulchrior Luna
JEſu ſplendidior Stellis,
JEſu admirabilis,
JEſu delectabilis,
JEſu honorabilis
JEſu humillime
JEſu pauperrime,
JEſu mitiſſime
JEſu ſapientiſſime
JEſu obedientiſſime
JEſu caſtiſſime
JEſu amator Caſtitatis
JEſu Amor Pacis,
JEſu amor noſter
JEſu ſpeculum vitæ
JEſu exemplar virtutum
JEſu decus morum
JEſu Zelator animarum
JEſu Refugium noſtrum
JEſu Pater pauperum.
JEſu conſolatio afflictorum
JEſu theſaurus fidelium
JEſu gemma pretioſa
JEſu Armarium perfectionis
JEſu bone Paſtor ovium
JEſu Stella maris
JEſu lux vera

Miſerere nobis.

JEſu Sapientia æterna
JEſu bonitas infinita
JEſu gaudium Angelorum
JEſu Rex Patriarcharum
JEſu Inſpirator Prophetarum,
JEſu Magiſter Evangeliſtarum
JEſu fortitudo Martyrum
JEſu lumen Confeſſorum
JEſu Sponſe Virginum,
JEſu corona Sanctorum omnium
Miserere nobis.

Propitius eſto, Parce nobis JEſu
Propitius eſto, Exaudi nos JEſu.
Ab omni malo, Libera nos JEſu

Ab omni periculo
Ab inſidiis Diaboli
A peſte, fame, & bello
A transgreſſione mandatorum tuorum
Ab incurſu omnium malorum
Per Incarnationem tuam
Per Adventum tuum
Per Nativitatem tuam
Per Dolores tuos
Per flagella tua
Per mortem tuam
Per Reſurrectionem tuam
Per Aſcenſionem tuam
Per gaudia tua.
Per gloriam tuam.
Per dulciſſimam Virginem Matrem tuam.
Per interceſſionem omnium Sanctorum tuorum.
Libera nos Domine.

Agnus

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis JEſu.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, exaudi nos JEſu.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis JEſu.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter &c.

℣. Benedic anima mea Domino.

℟. Et omnia, quæ intra me ſunt nomini ſancto ejus.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus qui glorioſiſſimum nomen JEſu Chriſti Filii tui Domini noſtri fidelibus tuis ſummo ſuavitatis affectu feciſti amabile, & malignis ſpiritibus tremendum, atque horribile: concede propitius, ut omnes qui hoc nomen JEſu devote venerantur in terris, ſanctæ conſolationis dulcedinem in præſenti percipiant, & in futuro gaudium exultationis, & interminabilis beatitudinis obtineant in cœlis. Per eundem Dominum noſtrum &c.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Benedicamus Domino.
℟. DEO gratias.
℣. Fidelium animæ per misericordiam DEI requiescant in pace.
℟. Amen.

Jubilus S. P. Bernardi Abbatis devotissimus & dulcissimus ad JEsum

JEsu dulcis memoria, dans vera cordis gaudia, sed super mel & omnia ejus dulcis præsentia.

Nil canitur suavius, auditur nil jucundius nil cogitatur dulcius, quam JEsus DEI Filius.

JEsu spes pœnitentibus, quam pius es petentibus quam bonus te quærentibus, sed quid invenientibus?

JEsu dulcedo cordium, fons vivus, lumen mentium, excedens omne gaudium, & omne desiderium.

Nec lingua valet dicere, nec littera exprimere, expertus potest credere, quid sit JEsum diligere.

JEsum quæram in lectulo, clauso cordis cubiculo, privatim & in publico, quæram amore sedulo.

Cum Maria diluculo, JEsum quæram in tumulo, clamore cordis querulo, mente quæram non oculo.

Tumbam perfundam fletibus, locum replens gemitibus, JEsu provolvar pedibus, strictis hærens amplexibus.

JEsu Rex admirabilis, & Triumphator nobilis dulcedo ineffabilis, totus desiderabilis.

Mane nobiscum Domine, & nos illustra lumine, pulsa mentis caligine, mundum replens dulcedine.

Quando cor nostrum visitas, tunc lucet ei veritas, mundi vilescit vanitas, & intus fervet charitas.

Amor JEsu dulcissimus, & vere suavissimus, plus millies gratissimus, quam dicere sufficimus.

Hoc probat ejus Passio, hoc sanguinis effusio, per quam nobis Redemtio datur & DEI visio.

JEsum omnes agnoscite, amorem ejus poscite, JEsum ardenter quærite, quærendo inardescite.

Sic amantem diligite, amoris vicem reddite, in hunc odorem currite, & vota votis reddite.

JEsu Author clementiæ, totius spes lætitiæ dulcoris fons, & gratiæ, veræ cordis lætitiæ.

JEsu mi bone sentiam, amoris tui copiam: da nobis per præsentiam tuam videre gloriam.

Cum digne loqui nequeam, de te tamen ne sileam, amor facit, ut audeam, cum de te solo gaudeam.

Tua JEsu dilectio, grata mentis refectio replens sine fastidio, dans famem desiderio.

Qui te gustant, esuriunt, qui bibunt adhuc sitiunt, desiderare nesciunt, nisi JEsum quem diligunt.

Quem tuus amor ebriat, novit, quid JEſus ſapiat, quam felix eſt quem ſatiat, non eſt ultra quod cupiat.

JEſu decus Angelicum, in aure dulce canticum, in ore mel mirificum, in corde nectar cœlicum.

Deſidero te millies, mi JEſu quando venies me lætum quando facies? me de te quando ſaties.

Amor tuus continuus, mihi languor aſſiduus: mihi fructus meliſluus eſt, & vitæ perpetuus.

JEſu ſumma benignitas, mira cordis jucunditas incomprehenſa bonitas, tua me ſtringat charitas.

Bonum mihi diligere, JEſum, nil ultra quærere, mihi prorſus deficere, ut illi queam vivere.

O! JEſu mi dulciſſime, ſpes ſuſpirantis animæ, te quærunt piæ lacrymæ, & clamor mentis intimæ.

Quocunque loco fuero, mecum JEſum deſidero quam lætus cum invenero, quam felix cum tenuero.

Tunc amplexus tunc oſcula, quæ vincunt mellis pocula, ſed in his parva morula, JEſum ſequar per ſæcula.

Jam quod quæſivi video, quod concupivi teneo, amore JEſu langueo, & corde totus ardeo.

JEſus cum ſic diligitur, hic amor non exſtinguitur, non tepeſcit, nec moritur, plus creſcit, & accenditur.

Hic amor ardet jugiter, dulceſcit mirabiliter, ſapit delectabiliter, delectat & feliciter.

Hic amor miſſus cœlitus, hæret mihi medullitus mentem incendit penitus: hoc delectatur ſpiritus.

O! Beatum incendium, & ardens deſiderium, O! dulce refrigerium, amare DEI Filium.

JEſu flos Matris Virginis, amor noſtræ dulcedinis, tibi laus, honor Numinis, regnum beatitudinis.

Veni, veni Rex optime, Pater immenſæ gloriæ affulge menti clarius jam expectatus ſæpius.

JEſu Sole ſerenior, & balſamo ſuavior omni dulcore dulcior, præ cunctis amabilior.

Cujus guſtus ſic afficit, cujus odor ſic reficit: in quo mens mea deficit, ſolus amanti ſufficit.

Tu mentis delectatio, amoris conſummatio, tu mea gloriatio JEſu mundi Salvatio.

Mi dilecte revertere, conſors paternæ dexteræ hoſtem viciſti proſpere, jam cœli Regno fruere.

Sequar, quocunque ieris, mihi tolli non poteris cum meum cor abſtuleris JEſu laus noſtri generis.

Cœli Cives occurrite, portas veſtras attollite, Rex virtutum, Rex gloriæ, Rex inſignis victoriæ, JEſu largitor veniæ, honor cœleſtis curiæ.

Tu fons miſericordiæ, tu veræ lumen Patriæ, pelle nubem triſtitiæ, dans nobis lucem gloriæ.

Te cœli chorus prædicat, & tuas laudes replicat, JEſus orbem lætificat, & nos DEO pacificat.

JEſus in pace imperat, quæ omnem ſenſum ſuperat, hanc mea mens deſiderat, & ea frui properat,

JEſus

JEſus ad Patrem rediit, cœleſte regnum ſubiit, cor meum a me tranſiit, poſt JEſum ſimul abiit.

Quem proſequamur laudibus, votis, hymnis, & precibus, ut nos donet cœleſtibus ſecum perfrui ſedibus.

Æterna ſapientia tibi, Patrique gloria, cum Spiritu Paraclito in ſempiterna ſæcula. Amen.

Ejuſdem S. P. Bernardi Rhytmica oratio ad Dominum JEſum Chriſtum ejusque Matrem intemeratam Virginem, quæ non ſine magna devotione per Choros duos cantari poteſt.

AD FILIUM.

Summe ſummi tu Patris unice
Mundi Faber, & Rector fabricæ
Pietatis reſpectu Deicæ
Peccatores afflictos reſpice
Pie Pater.
Conſolentur O! bone Domine,
Reſpirantes in tuo nomine.
Qui pro mundi tollendo crimine
Dignatus es naſci de Virgine
Matris Pater.

AD MATREM.

Summa ſummi tu Mater Filii
Clavem noſtri tenens auxilii
Fove tui lacte conſilii
Peregrinos hujus exilii.
Pia Mater.
Conſolentur O! bona Domina,
Sitientes bona ſolamina,
De qua ſola felice fæmina
Prædicantur hæc duo nomina:
Virgo Mater.

O! Figura Patris ſub-ſtantiæ
Tu es ſplendor Paternæ gloriæ
Tu es verum lumen Juſtitiæ
De quo manat totius gratiæ
Plenitudo.

Virtus Patris & ſapien-tia
Suaviter diſponens om-nia
Tu & Pater una ſub-ſtantia
Æquus honor, eadem gloria,
Eſt utrique.

O! Sanctorum Sancte mirabilis
Toti mundo deſidera-bilis
Homo potens, & DEus humilis
Non eſt tibi, nec erit ſimilis
DEus meus.

JEſu Chriſte fons inde-ficiens
Fons humana corda re-ficiens

O! Regina Regni Da-vidici
Tu es Virga floris Do-minici
Tu es Arca Panis Ange-lici
De quo noſtra meretur refici
Solitudo.

Stella maris Regina ſæ-culi
Tu es Mater illius Par-vuli
Quem adorant fideles Populi
Semper omnes & ſem-per ſinguli
Et ubique.

O! Sanctarum Sancta dulciſſima
Sola tanto partu digniſ-ſima
Ut de tua carne mun-diſſima
Naſceretur Majeſtas maxima
Homo DEus.

Mater Chriſti decus Virgineum
Thronum ſedens ſuper æthereum

Te ſuſpiro, te ſolum ſi-
tiens
Solus eris mihi ſuffici
ens
Fili DEI.

Summum bonum ple-
num dulcedine
Verum lumen de vero
lumine
Solo cujus audito no-
mine
Satiatur mira pinguedi-
ne
Cor juſtorum.

Patrum Pater præcelſe
cæteris
Reparator humani ge-
neris
O! qui carnem pro no-
bis miſeris
Mulieris de carne pau-
peris
Aſſumpſiſti.

Audi precor, O! qui
das gratiam
Peccatoris hujus miſe
riam
Et per tuam miſericor-
diam.

Nomen tuum ſapore
melleum
Liquefacit affectum fer-
reum.
Cordis mei.

Summi boni reclinato-
rium,
Dulcis vini dulce cella-
rium
Quod edulcans dulce-
do dulcium
Prælegit ſibi in propri-
um
Rex cœlorum.

Mater Matrum & Vir-
go Virginum
Apotheca ſalutis homi-
num
O! quam munda de
carne Dominum
Sine carnis miſtura ſe-
minum
Concepiſti.

Audi precor, O! plena
gratia,
Peccatoris hujus ſuſpi-
ria
Et pro tua miſericor-
dia

Peccatorum meorum veniam
Mihi dona.
Tibi Pater fac beneplacitum
Peccatoris iſtius gemitum
Solve mei reatus debitum
Quia malum prætendo meritum
Et prætendi.
O! intactæ Fili puerperæ
Audi planctus animæ miſeræ
Quæ peccati jacens in pulvere
Ut jumentum ſe computreſcere
Lamentatur.
Pie Pater errantem corrige
Piam manum labenti porrige
Jam de luto fæcis me erige
Et in viam tuorum dirige
mandatorum.

DEO meo me reconcilia
Mater bona.
Tibi Mater fac acceptabilem
Peccatoris hanc vocem flebilem
Redde mihi DEum placabilem
Ne ſe præſtet inexorabilem
Quem offendi.
O! intacta Virgo puerpera
Ad te clamat mens mea miſera,
Quæ nefanda ſemper ad ſcelera
Ab ætate nunc uſque tenera
Effrænatur.
Pia Mater errantem viſita,
Pio corde de me recogita
Coram JEſu benigno clamita
Ut meorum remittat debita
Peccatorum.

Eſto

Eſto nobis Pater propitius
Quorum Frater es, atque ſocius
Te laudamus, te benedicimus
Adoramus: atque diligimus.
Mente tota.
Benedicte Creator omnium
Benedicas mentes fidelium
Nomen tuum benedicentium
Mortis tuæ per beneficium
Quos ſalvaſti.
Laus & honor ſit DEI Filio
Salus, virtus, & benedictio
Benedicta ſit Incarnatio
Mors illius & Reſurrectio
In æternum.

Eſto nobis Mater propitia
Quorum Soror es, atque ſocia
In tuarum laudum præconia
Corda noſtra fac voluntaria
ac devota.
Benedicta tu in mulieribus
Benedic te benedicentibus
Benedictis tuis uberibus
Qui dat eſcam eſurientibus
Hunc lactaſti.
Benedictus ſit Pater luminum
Benedicta ſit Virgo Virginum
Benedicat cor meum Dominum
Sitiatque fontem dulcedinum
Sempiternum.

Hymnus S. Thomæ Aquinatis de Venerabili Sacramento.

Lauda Sion Salvatorem, lauda Ducem & Paſtorem in hymnis & canticis.

Quantum potes, tantum aude, quia major omni laude nec laudare ſufficis.

Laudis thema ſpecialis, Panis vivus & vitalis hodie proponitur.

Quem in ſacræ menſa cænæ, turbæ fratrum duodenæ datum non ambigitur.

Sit laus plena, ſit ſonora, ſit jucunda, ſit decora mentis jubilatio.

Dies enim ſolemnis agitur, in qua menſæ prima recolitur hujus inſtitutio.

In hac menſa novi Regis, novum Paſcha novæ legis, phaſe vetus terminat.

Vetuſtatem novitas, umbram fugat veritas noctem lux eliminat.

Quod in cæna Chriſtus geſſit, faciendum hoc expreſſit, in ſui memoriam.

Docti ſacris inſtitutis, Panem vinum in ſalutis conſecramus hoſtiam.

Dogma datur Chriſtianis, quod in carnem tranſit panis & vinum in Sanguinem.

Quod non capis, quod non vides, animoſa firmet fides præter rerum ordinem.

Sub diverſis ſpeciebus, ſignis tantum, & non rebus latens res eximæ.

Caro cibus Sanguis potus, manet tamen Chriſtus totus ſub utraque ſpecie.

A ſu-

A ſumente non conciſus, non confractus, non diviſus, integer accipitur.

Sumit unus ſumunt mille, quantum iſti, tantum ille, nec ſumptus conſumitur.

Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali, vitæ vel interitus.

Mors eſt malis, vita bonis, vide paris ſumptionis quam ſit diſpar exitus.

Fracto demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur.

Nulla rei ſit ſciſſura, ſigni tantum ſit fractura, Qua nec ſtatus, nec ſtatura, ſignati minuitur.

Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum vere panis filiorum, non mittendus canibus.

In figuris præſignatur, cum Iſaac immolatur Agnus paſchæ deputatur, datur manna Patribus.

Bone Paſtor, panis vere, JEſu noſtri miſerere tu nos paſce nos tuere, tu nos bona fac videre in terra viventium.

Tu qui cuncta ſcis, & vales, qui nos paſcis hic mortales tuos ibi commenſales, cohæredes & Sodales fac Sanctorum Civium. Amen.

Alius hymnus ejusdem Doctoris. Angelici.

Pangue lingua glorioſi corporis myſterium, ſanguinisque pretioſi: quem in mundi pretium, fructus ventris generoſi, Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine, & in mundo conversatus sparso verbi semine, sui moras incolatus miro clausit ordine.

In supremæ nocte cœnæ, recumbens cum fratribus, observata lege plene cibis in legalibus, cibum turbæ duodenæ se dat suis manibus.

Verbum caro, panem verum verbo carnem efficit: fitque Sanguis Christi merum, & si sensus deficit, ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui: & antiquum documentum novo cedat ritui præstet fides supplementum, sensuum defectui.

Genitori, genitoque, laus & jubilatio salus honor, virtus quoque sit & benedictio: procedenti ab utroque compar sit laudatio. Amen.

Oratio. S. P. Bernardi ad JEsum devotissima.

O! bone JEsu! O! piissime JEsu, O! dulcissime JEsu! O! JEsu Fili Mariæ Virginis plene misericordia & pietate. O! dulcis JEsu secundum magnam misericordiam tuam miserere mei. O! clementissime JEsu te deprecor per illum sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas, & in me respicias miserum & indignum humiliter veniam petentem, & hoc nomen

men Sanctum JEſus invocantem. O! nomen JEſu nomen dulce, nomen JEſu nomen delectabile, nomen JEſu nomen confortans: quid eſt enim JEſus niſi Salvator? ergo JEſu propter nomen ſanctum tuum eſto mihi JEſus, & ſalva me: ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creaſti. O! bone JEſu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O! dulcis JEſu, recognoſce, quod tuum eſt, & abſterge, quod alienum eſt: O! benigniſſime JEſu miſerere mei, dum tempus eſt miſerendi: ne damnes me in tempore judicandi. Quæ utilitas in Sanguine tuo, dum deſcendero in æternam corruptionem? Non mortui laudabunt te Domine JEſu, neque omnes, qui deſcendunt in infernum. O! amantiſſime JEſu! O! deſideratiſſime JEſu! O! mitiſſime JEſu! O! JEſu! JEſu! JEſu! admitte me intrare in numerum electorum tuorum. O! JEſu ſalus in te credentium: O! JEſu, ſolatium ad te confugientium: O! JEſu dulcis remiſſio omnium peccatorum: O! JEſu Fili Mariæ Virginis: infunde in me gratiam, ſapientiam, charitatem, & caſtitatem, & humilitatem, ut poſſim te perfecte diligere, te laudare, te perfrui, tibi ſervire, & in te gloriari, & omnes, qui invocant nomen tuum, quod eſt JEſus.

AMEN.

OF.

OFFICIUM DE SANCTO SPIRITU.

AD MATUTINIUM.

Spiritus Sancti gratia, illuminet sensus & corda nostra. Amen.

℣. Domine labia mea aperies &c.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. DEus in adjutorium meum intende

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri &c.

HYMNUS.

Nobis Sancti Spiritus gratia sit data,
De qua Virgo Virginum fuit obumbrata,
Cum per Sanctum Angelum fuit salutata,
Verbum caro factum est, Virgo fæcundata.

Antiph. Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: & tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

Oremus.

Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus Sancti: quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti DEus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

AD

AD PRIMAM.

Spiritus Sancti &c. *ut supra.*
DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

DE Virgine Maria Christus fuit natus,
Crucifixus, mortuus atque tumulatus:
Resurgens Discipulis fuit demonstratus,
Et ipsis cernentibus in cœlos levatus
Antiph. Versus & Oratio *ut supra.*

AD TERTIAM.

Spiritus Sancti &c. *ut supra.*
DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Suum Sanctum Spiritum DEus delegavit
In die Pentecostes, suos confortavit:
Et de linguis igneis ipsos inflammavit;
Relinquere orphanos eos denegavit.
Antiph. Versus, & Oratio *ut supra.*

AD SEXTAM.

Spiritus Sancti &c. *ut supra.*
DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Septiformem gratiam tunc acceptaverunt,
Quare idiomata cuncta cognoverunt,
Ad diversa climata mundi recesserunt,
Et Fidem Catholicam tunc prædicaverunt.
Antiph. Versus, & Oratio *ut supra.*

AD NONAM

Spiritus Sancti &c. *ut supra.*
DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Spiritus Paraclitus fuit appellatus,
Donum DEI, charitas, fons vivificatus,
Spiritalis unctio, ignis inflammatus,
Septiformis gratia, charisma vocatus.
Antiph. Versus, & Oratio, *ut supra.*

AD VESPERAS.

Spiritus Sancti &c. *ut supra.*
DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Dextræ DEI digitus virtus spiritalis
Nos defendat, eruat ab omnibus malis,
Ut nobis non noceat Dœmon infernalis,
Protegat, & foveat, nutriat sub alis.
Antiph. Versus, & Oratio *ut supra.*

AD COMPLETORIUM.

Spiritus Sancti &c. *ut supra.*
℣. Converte nos DEus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam a nobis.
DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Spiritus Paraclitus nos velit juvare
Gressus nostros regere, & illuminare,
Et cum DEus venerit omnes judicare,
Nos velit ad dexteram suam collocare.
Antiph. Versus & Oratio *ut supra.*

COMMENDATIO.

Has Horas canonicas cum devotione,
Tibi Sancti Spiritus, pia ratione,

Dixi: ut nos visites tua inspiratione
Et vivamus jugiter in cœli regione. Amen.

Oremus.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

Mentes nostras, quæsumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius veritatem.

Adsit nobis quæsumus Domine, virtus Spiritus Sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis.

DEus cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum, purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, & digne laudare mereamur.

Omnipotens sempiterne DEus, cujus Spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur, & regitur: exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per Dominum &c.

Antiph. Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti.

Hym-

Hymnus Ecclesiasticus ad Sanctum Spiritum.

Veni Creator Spiritus mentes tuorum visita.
Imple superna gratia, quæ tu creasti pectora:
Qui diceris Paraclitus, altissimi donum DEI,
Fons vivus, ignis, charitas, & spiritalis unctio,
Tu septiformis munere, dextræ Dei tu digitus,
Tu rite promissum Patris, sermone ditans guttura
Accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus:
Infirma nostri corporis virtute firmans perpetim.
Hostem repellas longius Pacemque dones protinus:
Ductore sic te prævio vitemus omne noxium.
Per te sciamus, da Patrem, noscamus atque Filium,
Te utriusque Spiritum credamus omni tempore.
Gloria Patri Domino, Natoque qui a mortuis surrexit, ac Paraclito, in sæculorum sæcula Amen.

OFFICIUM
SANCTÆ CRUCIS.
AD MATUTINUM.

℣. Per signum Crucis de inimicis nostris.
℟. Libera nos DEus noster.
℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. DEus



C.P.S.C.M. *Klauber Cath. Sc. et exc. A.V.*

℣. DEus in adjutorium meum intende
℟. Domine ad juvandum me feſtina.
Gloria Patri &c.

HYMNUS.

Patris Sapientia veritas divina. DEus homo captus eſt hora matutina, a ſuis Diſcipulis cito derelictus, a Judæis traditus, venditus afflictus.

Antiph. O! Crux venerabilis, quæ ſalutem attuliſti miſeris, quibus te efferam præconiis: quoniam vitam cœlitem nobis præparaſti.

℣. Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi.
℟. Quia per crucem tuam redemiſti mundum.

Oremus.

Domine JEſu Chriſte Fili DEI vivi, pone Paſſionem, Crucem, & mortem tuam, inter Judicium tuum, & animam meam, nunc, & in hora mortis meæ: & mihi largiri digneris gratiam & miſericordiam vivis & defunctis requiem & veniam, Eccleſiæ tuæ pacem & concordiam, & nobis peccatoribus vitam & gloriam ſempiternam. Qui vivis & regnas &c.

AD PRIMAM.

℣. Per ſignum Crucis &c. *ut ſupra.*
℟. DEus in adjutorium &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Hora prima Dominum ducunt ad Pilatum, & a falſis teſtibus multum accuſatum, Co-

laphis percutiunt manibus ligatum, vultum DEI conspuunt, lumen cœli gratum.

Antiph. O! Crucis victoria, & admirabile signum! in cœlesti curia fac nos captare triumphum.

Versus & Oratio *ut supra.*

AD TERTIAM.

℣. Per signum Crucis &c. *ut supra.*

℟. DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Crucifige clamitant hora tertiarum, illusus induitur veste purpurarum, caput ejus pungitur corona spinarum, Crucem portat humeris ad locum pœnarum.

Antiph. Funestæ mortis damnatur supplicium, dum Christus in Cruce nostra destruxit vincula criminum.

Versus & Oratio *ut supra.*

AD SEXTAM.

℣. Per signum Crucis &c. *ut supra.*

℟. DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Hora sexta JEsus est Cruci conclavatus, & est cum Latronibus pendens deputatus, Præ tormentis sitiens, felle saturatus, agnus crimen diluens sic ludificatus.

Antiph. Per lignum servi facti sumus, & per sanctam Crucem liberati sumus: fructus arboris seduxit nos, Filius DEI redemit nos.

Versus & Oratio *ut supra.*

AD NONAM

℣. Per ſignum Crucis &c. *ut ſupra.*
℣. DEus in adjutorium &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Hora nona Dominus JEſus exſpiravit, Eli, clamans Spiritum Patri commendavit, latus ejus lancea miles perforavit, terra tunc contremuit, & ſol obſcuravit.

Antiph. O! magnum pietatis opus: mors mortua tunc eſt, in ligno quando mortua vita fuit.

Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD VESPERAS.

℣. Per ſignum Crucis &c. *ut ſupra.*
℣. DEus in adjutorium &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

De Cruce deponitur hora veſpertina, fortitudo latuit in mente divina: talem mortem ſubiit vitæ medicina: heu! corona gloriæ jacuit ſupina.

Antiph. O! Crux benedicta, quæ ſola fuiſti digna portare talentum mundi: dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera: ſuper omnia ligna Cedrorum tu ſola excelſior, in qua mundi Salus pependit, in qua Chriſtus triumphavit, & mors mortem ſuperavit in æternum.

Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD COMPLETORIUM.

℣. Per ſignum Crucis &c. *ut ſupra.*

℣. Converte nos DEus ſalutaris noſter
℟. Et averte iram tuam a nobis.
DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Hora Completorii datur Sepulturæ Corpus Chiſti nobile, ſpes vitæ futuræ, conditur aromate: complentur Scripturæ, jugi ſit memoriæ mors hæc mihi curæ.

Antiph. Salvator mundi ſalva nos, qui per Crucem, & ſanguinem tuum redemiſti nos: auxiliare nobis, te deprecamur DEus noſter.

Verſus & Oratio *ut ſupra.*

COMMENDATIO.

Has horas canonicas cum devotione,
Tibi Chriſte recolo pia ratione,
Ut qui pro me paſſus es amoris ardore,
Sis mihi ſolatium mortis in agone. Amen.

Oremus.

Perpetua nos quæſumus Domine pace cuſtodi: quos per lignum ſanctæ Crucis redimere dignatus es.

Domine JEſu Chriſte, qui de cœlis ad terram, de ſinu Patris deſcendiſti, & ſanguinem tuum pretioſum in remiſſionem peccatorum noſtrorum fudiſti: te humiliter deprecamur, ut in die Judicii ad dextram tuam audire mereamur: Venite benedicti.

DEus qui unigeniti Filii tui pretioſo Sanguine vivificæ Crucis vexillum ſanctificare voluiſti;

con-

concede quæſumus, eos, qui ejuſdem Crucis gaudent honore, tua quoque ubique protectione gaudere.

DEus qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum ſubire voluiſti, ut inimici a nobis expelleres poteſtatem, concede nobis famulis tuis, ut reſurrectionis gloriam conſequamur.

DEus qui in Filii tui paſſione mundo remedia contuliſti, populum tuum quæſumus, cœleſti dono proſequere, ut & perfectam libertatem conſequi mereamur, & ad vitam proficiamus æternam.

Domine JEſu Chriſte, Fili DEI vivi, qui pro Salute mundi Crucis patibulum aſcendiſti, & Sanguinem tuum pretioſum pro redemptione animarum noſtrarum copioſe fudiſti, te ſupplices deprecamur, ut poſt obitum noſtrum Paradiſi januam nos gaudenter introire concedas. Qui vivis & regnas &c.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Benedicamus Domino.
℟. DEO gratias.
℣. Fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace.
℟. Amen.

Orationes devotissimæ S. Brigittæ, quas ante Crucifixi Imaginem non sine lacrymis quotidie dicebat.

I.

O! JEsu Christe, æterna dulcedo te amantium, jubilus excedens omne gaudium, & omne desiderium, salus, & amator peccatorum, qui delitias tuas testatus es esse cum filiis hominum, propter hominem homo factus in fine temporum, memento omnis præmeditationis, & intimi mæroris, quem in humano corpore sustinuisti, instante saluberrimæ Passionis tuæ tempore, in divino corde præordinato: memento tristitiæ & amaritudinis, quam in anima, te ipso testante, habuisti, quando in ultima Cœna Discipulis tuis Corpus & Sanguinem tuum tradidisti, pedes eorum lavisti, & dulciter eos consolando imminentem Passionem prædixisti; memento omnis timoris, angustiæ, doloris, quem in Corpore tuo delicato ante Passionem Crucis tuæ pertulisti, quando post trinam Orationem, & sanguineum sudorem a Juda Discipulo tuo tadebaris, ab electa gente capiebaris, a falsis testibus accusabaris, in electa Civitate, Paschali tempore, in florida Corporis juventute innocenter damnabaris, veste propria exuebaris, & vestibus alienis induebaris, colaphizabaris, oculis & facie velabaris, alapis cædebaris, ad columnam ligabaris, flagellabaris, spinis coronabaris, arundine in capite feriebaris, & innume-

merabilibus aliis calumniis lacerabaris, Da Domine DEus mihi quæso ob memoriam harum ante Crucem tuam Passionum, veram ante mortem meam Contritionem, puram Confessionem, dignam Satisfactionem, ac omnium peccatorum meorum remissionem. Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

II.

O! JEsu mundi Fabricator, quem nulla dimensio vero termino metitur, qui terram palmo concludis: recordare amarissimi doloris, quem sustinebas, cum Judæi sanctissimas manus tuas ad Crucem obtusis clavis primo affixerunt, & ad perforandum delicatissimos pedes tuos (cum non esses conveniens voluntati eorum) dolorem super dolorem vulneribus tuis addiderunt, & sic crudeliter te distraxerunt, & extenderunt in longum & latum Crucis tuæ, ut dissolverentur compages membrorum tuorum. Deprecor te per hujusmodi sacratissimi & amarissimi in Cruce doloris memoriam, ut des mihi timorem, & amorem tuum. Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

III.

O! JEsu cœlestis Medice, recordare languoris, livoris, & doloris, quos in alto Crucis patibulo levatus passus es in omnibus dilaceratis membris tuis, quorum nullum in suo statu recte permanserat, ita ut nullus dolor similis tuo dolori inveniretur; quia a planta pedis usque ad verticem capitis in te non fuit sanitas. Et tamen

omnium dolorum immemor Patrem pro inimicis pie exoraſti dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Per hanc miſericordiam, & ob memoriam illius doloris concede, ut hæc memoria Paſſionis tuæ amariſſimæ ſit omnium peccatorum meorum plena remiſſio. Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

IV.

O! JEſu vera libertas Angelorum, Paradiſus delitiarum, memento mæroris & horroris, quem ſuſtinebas, cum omnes inimici tui quaſi leones ferociſſimi te circumſteterunt, & colaphizationibus, conſpuitionibus, jugulationibus, cæteriſque pœnis inauditis te moleſtaverunt, per has pœnas, & per omnia contumelioſa verba, duriſſimaque tormenta, quibus te Domine JEſu Chriſte omnes inimici affecerunt, deprecor te, ut liberes me ab omnibus inimicis meis viſibilibus, & dones me ſub umbra alarum tuarum ad perfectionem ſalutis æternæ pervenire. Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

V.

O! JEſu Speculum claritatis æternæ, memento illius mæroris, quem habuiſti, quando in ſpeculo ſereniſſimæ Majeſtatis tuæ conſpexiſti prædeſtinationem electorum, per merita Paſſionis tuæ ſalvandorum, & reprobationem malorum per ſua demerita damnandorum, & per abyſſum miſerationis tuæ, qua nobis perditis peccatoribus & deſperatis tunc condoluiſti, & quam latroni in Cruce exhibuiſti dicens: Hodie me-

mecum eris in Paradiſo, rogo te JEſu, facias mecum miſericordiam in hora mortis meæ. Amen. *Pater noſter.* *Ave Maria.*

VI.

O! JEſu Rex amabilis, & amice totus deſiderabilis, memento illius mæroris, quem habuiſti, quando nudus & miſerabilis in Cruce pependiſti, & omnes amici, & noti tui adverſum te ſteterunt, & nullum conſolantem te inveniebas, niſi ſolam dilectam Genitricem tuam, in amaritudine animæ ſuæ tibi fideliſſime adſtantem, quam diſcipulo tuo commendaſti, dicens: Mulier ecce Filius tuus: Rogo te pie JEſu, per gladium doloris, qui tunc ejus animam pertranſivit, ut compatiaris mihi in omnibus tribulationibus, & afflictionibus meis corporalibus, & ſpiritualibus, & da mihi conſolationem in tempore tribulationis, & in hora mortis meæ. Amen. *Pater noſter.* *Ave Maria.*

VII.

O! JEſu Fons inexhauſtæ pietatis, qui ex intimo affectu in Cruce dixiſti: Sitio. Scilicet ſalutem generis humani; accende quæſumus, cordium noſtrorum deſideria, ad omne opus perfectum, & ſitim carnalis concupiſcentiæ, æſtum mundanæ delectationis in nobis penitus refrigera & exſtingue. Amen. *Pater noſter.* *Ave Maria.*

VIII.

O! JEſu dulcedo cordium, ingensque ſuavitas mentium, per amaritudinem aceti, & fellis,

quam pro nobis deguſtaſti in hora mortis noſtræ concede nobis Corpus & Sanguinem tuum digne percipere, ad remedium & conſolationem animarum noſtrarum. Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

IX.

O! JEſu regalis virtus, jubiluſque mentalis, memento anguſtiæ, & doloris, quem paſſus es, quando præ mortis amaritudine, & Judæorum inſultatione, cum magna voce te a DEO Patre derelictum clamaſti dicens: DEus meus, DEus meus, ut quid dereliquiſti me? per hanc anguſtiam peto a te, ut in anguſtiis noſtris non derelinquas nos, Domine DEus noſter. Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

X.

O! JEſu alpha, & omega vita, & virtus in omni tempore, recordare, quod a ſummo capite uſque ad plantam pedis te pro nobis in aqua Paſſionis tuæ demerſiſti: propter latitudinem & longitudinem vulnerum tuorum doce me (per veram charitatem cuſtodire latum mandatum tuum nimis) in peccatis demerſum. Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

XI.

O! JEſu abyſſus profundiſſima miſericordiæ, rogo te propter profunditatem vulnerum tuorum, quæ pertranſierunt medullam oſſium ac viſcerum tuorum, ut me ſubmerſum in peccatis emergere facias, abſcondaſque me in foraminibus vulnerum tuorum a facie iræ tuæ, do-

nec pertranseat furor tuus Domine. Amen. *Pater noster, Ave Maria.*

XII.

O! JEsu veritatis Speculum, Signum unitatis, & charitatis vinculum, memento innumerabilium vulnerum tuorum, quibus a summo capite, usque ad ima pedum vulneratus fuisti, & ab impiis Judæis laceratus, & sanctissimo Sanguine tuo rubricatus, quam magnitudinem doloris tui in virginea carne tua pertulisti pro nobis pie JEsu. Quid ultra facere debuisti, quod non fecisti? Scribe quæso omnia vulnera tua in corde meo, pretiosissimo sanguine tuo, ut in illis legam dolorem & amorem tuum, ut eorum memoria semper apud secretum cordis mei remaneat, ut dolor passionis tuæ in me quotidie renovetur, & amor augeatur, usquedum perveniam ad te desideratum thesaurum omnium bonorum & gaudiorum repletum quod mihi donare digneris Christe JEsu dulcissime in vita mea. Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

XIII.

O! JEsu Leo fortissime: Rex immortalis invictissime: memento doloris, quem passus es, cum omnes vires corporis & cordis tui penitus defecerunt, & inclinato capite dixisti: Consummatum est. Per hanc angustiam & dolorem tuum miserere mihi in ultima consummatione vitæ exitus mei, cum anima mea anxiata fuerit, & Spiritus meus conturbatus. Amen, *Pater noster. Ave Maria.*

XIV.

O! JEſu unigenite altiſſimi Patris, Splendor, & figura ſubſtantiæ ejus, memento obnoxiæ commendationis, qua Spiritum tuum Patri commendaſti dicens: In manus tuas commendo Spiritum meum, & lacerato corpore, ruptoque corde, cum clamore valido patefactis viſceribus miſericordiæ tuæ pro nobis redimendis expiraſti. Per hanc pretioſiſſimam mortem tuam deprecor te Rex Sanctorum, conforta me ad reſiſtendum diabolo, mundo, carni, & ſanguini, ut mundo mortuus tibi ſoli vivam, & in noviſſima hora exitus mei ſuſcipe ad te revertentem Spiritum meum exulem, & peregrinum. Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

XV.

O! JEſu vitis vera & fæcunda, memento ſuperefflüentis & abundantis effuſionis ſanguinis tui, quem tu de corpore tuo ſicut de botro expreſſum copioſiſſime effudiſti: quando in Cruce torcular ſolus calcaſti, & lancea militari perfoſſo latere nobis ſanguinem, & aquam propinaſti: ita ut nec minima gutta in te remaneret, & demum quaſi myrrhæ faſciculus in altum ſuſpenſus fuiſti, & delicata caro tua elanguit, & medulla oſſium tuorum emarcuit: Per hanc amariſſimam Paſſionem, & pretioſi ſanguinis tui effuſionem, pie JEſu precor te, ſuſcipe animam meam in mortis agone. Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

Pero-

Peroratio.

O! dulcis JEſu, vulnera cor meum, ut pœnitentiæ, & amoris lacrymæ ſint mihi panes die ac nocte, & converte me totaliter ad te, ut cor meum perpetuo fiat tibi habitaculum, & conſervatio mea tibi placita ſit, & accepta, & finis vitæ meæ ita laudabilis, ut poſt hujus vitæ terminum te merear laudare cum omnibus Sanctis in æternum. Amen.

Utilis modus ſalutandi ſacra quinque vulnera Chriſti.

Ad vulnus dexteræ manus, petens a Deo fortitudinem in rebus proſperis, dic Pater & Ave. Ad ſiniſtræ manus vulnus pete Sapientiam in adverſis, & dic Pater & Ave. Ad ſiniſtrum pedem, pete gratiam recedendi a malo, a peccato & occaſionibus peccandi dicens: Pater & Ave. Ad dextrum gratiam progrediendi in bono & dic: Pater & Ave. Ad ſacrum Latus pete amorem & charitatem & dic: Pater, & Ave. In fine adjunge ſequentem Orationem:

Abſorbeat quæſo Domine, mentem meam, ab omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, ignita & mellifluа vis amoris tui, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori Amen.

Oratio Rhythmica B. Gregorii de quinque vulneribus Domini.

Ave manus dextra Chriſti, perforata plaga triſti nos ad dextram jube ſiſti, quos per Crucem redemiſti. *Pater noſter. Ave Maria.*

Ave

Ave manus Christi læva, sic confixa manu sæva, nos ab omni malo leva, quos produxit Mater Eva. *Pater noster. Ave Maria.*

Ave vulnus dextri pedis, sempiternæ spes quietis, pignus nostræ es mercedis, da locum æternæ sedis. *Pater noster. Ave Maria.*

Ave plaga sævæ plantæ, qua virtutum crescunt plantæ: nos ab hoste supplantante, tu defende post & ante. *Pater noster. Ave Maria.*

Ave latus perforatum, unde fluxit flumen gratum, præbe nobis conducatum, ad æternæ vitæ statum. *Pater noster. Ave Maria.*

De Cultu magnæ DEI Matris.

Inter omnia Creata, nihil est DEI Matre excelsius. Hæc est enim honos totius creaturæ, & præcipue generis nostri, quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem ait S. Bern. Hæc est qua minus est, quidquid sub DEO magnum est S. Anselm. Si ergo DEum amas, & semper plus amare vis, ama etiam id, quod maxime amat DEus. Ergo post DEum æstima, ama, cole, super omnia Virginem; sicut enim DEus summe colendus est, quia summe bonus, & dignus est, ita unumquodque aliorum, prout magis, minusque ad primam bonitatem, dignitatemque accedit, æstimandum, observandum est. Hæc enim dignissima Mater DEI, est Advocata, Patrona, & Mater nostra, tam pia, tam potens, ut omnem ad eam conversum & ab illa respectum impossibile sit perire. S. Anselm. Imo nullus est, qui salvus fiat, nisi per hanc Sanctissimam: nemo est qui liberetur a malis, nisi per hanc purissimam; nemo cui cœleste donum conferatur,

nisi

nisi per hanc charissimam. S. German. Si a Dæmone infestaris, si criminum immanitate turbatus, judicii horrore perterritus, tristitiæ & desperationis barathro incipis absorberi, cogita Mariam, Mariam invoca. Si filii DEI in hac vita gratiam & consolationem ambis, ejusdemque amplectu in vita altera beati quæris, Matrem honora; si demum corporalibus premeris necessitatibus, si quibuscunque in hoc Oceano jactaris fluctibus, respice Stellam Maris, voca Mariam. Suadet S. Bern.

Deinde SS. Doctores censent, peculiarem devotionem erga Beatissimam Virginem Mariam, probabile admodum esse signum Prædestinationis seu electionis. Ita S. Bonaventura in Spec. Virg. Qui digne coluerit illam, justificabitur, & qui neglexerit illam, morietur in peccatis suis. Reddit rationem S. P. Bernardus. Quia quando pro homine peccatore exhibet Filius Patri latus & vulnera, Mater Filio pectus & ubera, non potest fieri repulsa, ubi tot concurrunt charitatis indicia. Nec tamen illi Beati aut felices statim dici debent, qui leve aliquod obsequium Virgini Beatissimæ impendunt, & mores ejus, & virtutes imitari negligunt: tales enim non incongrue, qui quotidie peccata peccatis accummulant, & Virginem aliquibus colunt precibus, assimilari possunt Philistæis, qui genu unum coram Arca Domini flectebant, alterum coram Idolo Dagon.

Singulare Exercitium Devotionis erga Beatam Virginem Mariam, quod magno cum fructu spirituali per integrum annum adhiberi potest.

Singulis annis die Conceptionis Immaculatæ, aut alia quapiam Beatæ Mariæ Virginis Festivitate, quam singulari animi devotione celebrare cupis, eleemosinam aliquam, veluti pensionem annuam eidem Beatissimæ Vir-

Virgini debitam pauperibus distribuere, simulque in perpetuum ejus servum temetipsum offerre, consecrare, & mancipare cures.

Singulis Mensibus visites, vel tuo nomine, visitari cures Xenodochia, Nosocomia, aliaque loca, in quibus pauperes, aut infirmi degunt, illosque eleemosina aliqua corporali aut spirituali ob D. Virginis amorem adjuves.

Singulis Septimanis sanctissimis Confessionis & Eucharistiæ Sacramentis utere, minimum Confessionem non neglige, cum hoc sit remedium præstantissimum eradicandi omnia peccata, conservandi & augendi gratiam & amorem DEI, ac Beatæ Mariæ Virg.

Præterea singulis diebus Sabbathinis, qui specialiter honori hujus Virginis sunt consecrati, singulare aliquid in honorem ejusdem. Gloriosæ DEI Genitricis peragere studeas v. g. jejunare, corpus disciplina aus Cilicio castigare, aut simile mortificationis opus, aut humilitatis exercere.

Singulis diebus coronam integram aut tertiam partem Rosarii, aut Litanias B. Virginis, aut minimum quindecies Angelicam Salutationem, in honorem & memoriam quindecim præcipuorum Mysteriorum Vitæ & Passionis Domini, eidem Beatæ Virgini offeras, pro exaltatione sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, conversione infidelium, & hæreticorum, & pro animabus Fidelium defunctorum in Purgatorio: aut ex hoc, vel alio quopiam pio libello lege, aut Officium parvum B. Mariæ Virginis recita.

Singulis horis Cor ad B. Mariam Virg. elevando dicas: Maria Mater gratiæ &c. vel Ave Maria.

OF-

FESTUM B.^mae^ V. DE REDEMPTIONE CAPTIVORUM.



C: P. S. C. M. *Klauber Cath. Sc. et exc. A. V.*

OFFICIUM

De Conceptione Immaculata
B. MARIÆ VIRGINIS.

AD MATUTINUM.

Eja mea labia nunc annuntiate, laudes & præconia Virginis beatæ.

℣. Domina in adjutorium meum intende

℟. Me de manu hostium potenter defende.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto &c.

HYMNUS.

Salve mundi Domina, cœlorum Regina
Salve Virgo Virginum, Stella Matutina
Salve plena gratiæ, clara lux divina
Mundi in auxilium Domina festina:
Ab æterno Dominus te præordinavit
Matrem unigeniti Verbi, quo creavit
Terram, pontum, æthera; te pulchram ornavit
Sibi Sponsam, in qua Adam non peccavit.

℣. Elegit eam DEus, & præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

Domina exaudi orationem &c. *ut supra.*

Oremus.

Sancta Maria Regina cœlorum, Mater Domini nostri JEsu Christi, & mundi Domina, quæ nullum derelinquis, & nullum despicis: respice me Domina clementer oculo pietatis, & impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum, ut qui nunc

tuam ſanctam Conceptionem devoto affectu recolo, æternæ in futurum beatitudinis bravium capiam, ipſo, quem Virgo peperiſti, donante Domino noſtro JEſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in Trinitate perfecta DEus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Domina exaudi orationem &c. *ut ſupra.*

℣. Benedicamus Domino

℟. DEO gratias.

℣. Fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace

℟. Amen.

AD PRIMAM.

℣. Domina in adjutorium &c. *ut ſupra.*

℣. Gloria Patri &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Salve Virgo ſapiens domus DEO dicata,
  Columna ſeptemplici, menſaque exornata,
Ab omni contagio mundi præſervata
  Ante Sancta in utero Parentis quam nata.
Tu Mater viventium & porta es Sanctorum,
  Nova Stella Jacob, Domina Angelorum.
Zabulo terribilis, acies caſtrorum,
  Portus & refugium ſis Chriſtianorum.

℣. Ipſe creavit illam in Spiritu Sancto.

℟. Et effudit illam ſuper omnia opera ſua.

Domina exaudi &c. *ut ſupra.*

Oremus. Sancta Maria &c. *ut ſupra.*

AD TERTIAM.

℣. Domina in adjutorium &c. *ut ſupra.*

HYM-

HYMNUS.

Salve Arca fœderis, thronus Salomonis,
Arcus pulcher ætheris, Rubus visionis,
Virga frondens germinis, vellus Gedeonis,
Porta clausa Numinis, favusque Samsonis
Decebat tam nobilem natum præcavere
Ab originali labe Matris Evæ.
Almam, quam elegerat, Genitricem vere
Nulli prorsus sinens culpæ subjacere.
℣. Ego in altissimis habito.
℟. Et thronus meus in columna nubis.
℣. Domina exaudi &c. *ut supra.*
Oremus: Sancta Maria &c *ut supra.*

AD SEXTAM.

℣. Domina in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Salve Virgo puerpera, templum Trinitatis
Angelorum gaudium, Cella puritatis,
Solamen mærentium, hortus voluptatis,
Palma patientiæ, Cedrus castitatis.
Terra es benedicta, & sacerdotalis,
Sancta & immunis Culpæ originalis
Civitas altissimi, Porta orientalis,
In te est omnis gratia, Virgo singularis
℣. Sicut lilium inter spinas.
℟. Sic amica mea inter filias Adæ
Domina exaudi &c *ut supra.*
Oremus. Sancta Maria &c. *ut supra.*

AD NONAM.

℣. Domina in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Salve Urbs refugii, turrisque munita
David propugnaculis, armisque insignita,
In Conceptione, charitate ignita
Draconis potestas est a te contrita.
O! Mulier fortis, & invicta Judith,
Pulchra Abisai Virgo, verum fovens David.
Rachel curatorem Ægypti gestavit
Salvatorem mundi Maria portavit.
℣. Tota pulchra es amica mea.
℟. Et macula originalis nunquam fuit in te.
Domina exaudi &c. *ut supra.*
Oremus. Sancta Maria &c. *ut supra.*

AD VESPERAS.

℣. Domina in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Salve horologium, quo retro gradiatur,
Sol in decem lineis. Verbum incarnatur
Homo ut ab inferis ad summa attollatur
Immensus ab Angelis paulo minoratur.
Solis hujus radiis Maria coruscat:
Consurgens aurora, in conspectu micat:
Lilium inter spinas, quæ serpentis conterat
Caput, pulchra ut Luna errantes collustrat.
℣. Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens.
℟. Et quasi nebula texi omnem terram.
Domina exaudi &c. *ut supra.*
Oremus. Sancta Maria &c. *ut supra.*

AD COMPLETORIUM.

℣. Convertat nos Domina tuis precibus placatus JEſus Chriſtus Filius tuus.

℟. Et avertat iram ſuam a nobis.

℣. Domina in adjutorium &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Salve Virgo florens, Mater illibata,
Regina Clementiæ Stellis coronata,
Super omnes Angelos Pura Immaculata
Atque ad Regis dexteram, ſtans veſte deaurata,
Per te Mater gratiæ dulcis ſpes reorum,
Fulgens Stella Maris, portus naufragorum,
Patens cœli janua, Salus infirmorum,
Videamus Regem, in aula Sanctorum. Amen.

℣. Oleum effuſum, Maria, nomen tuum.

℟. Servi tui dilexerunt te nimis

Domina exaudi &c. *ut ſupra.*

Oremus. Sancta Maria &c. *ut ſupra.*

COMMENDATIO.

Supplices offerrimus tibi Virgo pia,
Hæc laudum præconia, fac, nos ut in via
Ducas curſu proſpero, & in agonia,
Tu nobis aſſiſte O! dulcis Maria. Amen.

Deo gratias.

Antiph. Hæe eſt Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.

℣. In Conceptione tua Virgo immaculata fuiſti.

℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperiſti.

Oremus.

DEus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus: ut sicut ex morte ejusdem Filii tui prævisa, eam ab omni labe præservasti: ita nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem Dominum nostrum &c.

℣. Immaculata Beatæ Mariæ Virginis Conceptio.

℟. Sit nobis salus & protectio.

LITANIÆ LAURETANÆ AD BEATAM VIRGINEM.

Pro felici Morte.

Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis DEus: Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi DEus. Miserere nobis.
Spiritus Sancte DEus. Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus DEus. Miserere nobis.
Sancta Maria
Sancta DEI Genitrix
Sancta Virgo Virginum
Mater Christi
Mater divinæ gratiæ } Ora pro nob.

Mater


S. MARIA EINSIDELENSIS
Cum Priv. S. C. Maj.
M. Engelbrecht Sc. et exc. A. V.

Mater purissima
Mater castissima
Mater inviolata
Mater intemerata
Mater amabilis
Mater admirabilis
Mater Creatoris
Mater Salvatoris
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis
Speculum Justitiæ
Sedes Sapientiæ
Causa nostræ lætitiæ
Vas Spirituale
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis
Rosa mystica
Turris Davidica
Turris eburnea,
Domus aurea
Fœderis Arca
Janua cœli
Stella matutina
Salus infirmorum
Refugium Peccatorum.
Consolatrix afflictorum
Auxilium Christianorum

Ora pro nobis.

Regina Angelorum
Regina Patriarcharum
Regina Prophetarum
Regina Apoſtolorum
Regina Martyrum
Regina Confeſſorum
Regina Virginum
Regina Sanctorum omnium. } Ora pro nobis

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi. Miſerere nobis.

Chriſte audi nos
Ohriſte exaudi nos.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.

Pater noſter. Ave Maria.

ANTIPHONA.

Sub tuum præſidium confugimus ſancta DEI Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus noſtris, ſed a periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa & benedicta, Domina noſtra, Mediatrix noſtra, Advocata noſtra: Tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræſenta.

V. Ora pro nobis ſancta DEI Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

FESTUM NOMINIS B^{mae}. V. MARIÆ.



C.P.S.C.M. Klauber Cath. Sc. et exc.

Oremus.

Gratiam tuam quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus & Crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Dominum nostrum &c. Amen.

Affectus ad Beatissimam V. Mariam sine macula conceptam.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

Ave ex omnipotentia Patris, Ave ex Sapientia Filii, ave ex dulcissima bonitate Spiritus Sancti Maria illuminans cœlum & terram. Gratia plena, Dominus tecum, unicus DEI Patris, unigenitusque Virginei cordis tui Filius, dulcissimus Sponsus, & amicus tuus. Benedicta tu in mulieribus, quæ repulisti Evæ maledictionem, & reportasti æternam benedictionem. Et benedictus fructus ventris tui JEsus Christus, Dominus & Creator omnium, omnia benedicens, & Sanctificans, omnia ditans, & vivificans. Amen.

Ave candidum lilium fulgidæ, semperque tranquillæ Trinitatis. Ave rosa fulgida cælicæ amœnitatis, de qua nasci, & de cujus lacte pasci Rex cœlorum voluit: adsis mihi misero peccatori nunc & in hora mortis meæ. Amen.

Salve ſacratum Regis Palatium. Salve thalame, in quo humanitas Chriſti deſponſata eſt. Salve electa DEO, antequam nata fueris. Salve divina cum hominibus reconciliatio.

Saluto & veneror animam tuam, gratia plenam: tuum intellectum, tam ſcientia inſtanti Conceptionis infuſa, quam lumine gloriæ, & viſione DEI illuminatiſſimum. Tuam voluntatem impeccabilem, omnibus habitibus, & actibus virtutum ab ipſa Conceptione tua ornatiſſimam.

Saluto & veneror tuum Corpus ſacratiſſimum DEO homini in primo gradu conſanguineum. Tuum Cor ſemper immaculatum, ſemper amore DEI ardentiſſimum. Tua omnia ſanctiſſima, & puriſſima membra. Gaudeo de omnibus virtutibus tuis, quod eas habueris origine Maternitatis altiſſimas, in gradu perfectiſſimas, in inſtanti tuæ Conceptionis infuſas, ſingulis vitæ mortalis momentis creſcentes, heroicas, Angelicas.

Gaudeo de tua Puritate, quod ſis præſervata ex meritis Chriſti, non ſolum a peccato originali, ſed etiam a debito proximo illud contrahendi, quod ſis ſemper libera ab omni peccato actuali, etiam veniali.

Gratias tibi æterne DEus, quia elegiſti Mariam velut roſam de ſpinis, velut ſtellam de tenebris, velut gemmam de luto fæcis. Et quia ſola cum Filio ſuo de maſſa generis Adæ pri-

primogenitæ innocentiæ, originalisque justitiæ hæreditatem retinuit, sola in gratia obedientiæ constitit.

Gratulor tibi o pretiosissima Creatura! O! Mater admirabilis illam omnem, quam DEus solus dare voluit, tu sola capere potuisti, abyssum gratiarum, qua pro omni existentiæ tuæ puncto impleta es, ut dignum Majestati divinæ fieres habitaculum.

O! felicissima & Beatissima Mulierum jam prævenio omnium generationum benedictiones, & loco earum omnium millies te & infinities beatam prædico, & esse gaudeo.

O! Puella sine macula Concepta, tu sola eris gloria Jerusalem, tu honorificentia populi nostri. Vellem nunc capacitatem cordis mei millies, milliesque amplius dilatari, ut possim aliquantulum digne DEO congaudere, & gratulari tibi illud instans ortus tui superadmirabilis in mundum.

O! Augustissima Mater DEI, fiat cor meum immaculatum, ut plus amet te, honoret te, apud omnes extollat te, plus quam ulla unquam creatura possit inhonorata vita sua offendere te.

Tu inchoasti Virgo, ora, ut ego finiam vitam sine macula. Impetra cordi meo illam, quæ ad bene videndum DEum requiritur, munditiem.

Habeam cor, quod cordis tui Sancti amores omnes offerat pro te Filio tuo, DEO JEsu: doceat me cor tuum amores immaculatos æternos. O! Sancta mater DEI, utinam Filius tuus in

mor-

morte mea intuens animam meam dicere possit; Tota pulchra es amica mea, & macula in te non est. Amen.

Oratio ab B. V. Mariam. pro felici morte.

O! Sancta Virgo Maria, tu Mater omnipotentis & æterni DEI, tu Sponsa Spiritus Sancti, & aula omnium Sanctorum Paradisi cœlestis. O! Sanctissima Virgo Maria, speculum & Sanctuarium DEI, Angelorum atque Archangelorum Triumphus & dominatio. Tu Mater JEsu Christi: Rogo te veniam omnium peccatorum meorum, & ut me liberes ab omnibus periculis Carnis & Diaboli, concede mihi gratiam auxilio tuo, & non deseras me. O! Mater pietatis, tua sanctissima manu ita ostende servo tuo donum gratiæ tuæ, ut vera fide firmatus, merear regnare in æterna gloria. Amen.

Alia pro felici morte.

Ave Maria Ancilla humillima sanctissimæ Trinitatis. Ave Maria Sanctissima & prælecta Filia DEI Patris. Ave Maria dignissima Mater Domini nostri JEsu Christi. Ave Maria dilectissima Sponsa Spiritus Sancti. Ave Maria pulcherrima Soror Angelorum. Ave Maria desideratissima promissio Prophetarum. Ave Maria splendidissima Regina Patriarcharum. Ave Maria verissima Magistra Evangelistarum. Ave Maria providissima Doctrix Apostolorum. Ave Ma-

ria fortissima Confortatrix Martyrum. Ave Maria dulcissimus fons & perfectio Confessorum. Ave Maria suavissimum Decus & corona Virginum. Ave Maria promptissima salus & Consolatrix vivorum, & mortuorum: Sis mecum in omnibus tentationibus, tribulationibus, necessitatibus, angustiis, & infirmitatibus meis, maxime in hora mortis meæ non discedas a me, & impetra mihi omnium peccatorum meorum veniam, & cœlestis Patriæ gloriam. Amen.

Ave Maria aureum.

Ave Maria in illa reverentia, qua DEus Pater per Ave te salutavit, suaque Omnipotentia ab omni væ culpæ liberavit. Ave Maria in illo amore, quo Filius DEI sua Sapientia te illuminavit, clarissimumque sidus, illuminans cœlum & terram effecit. Ave Maria in illa dulcedine, Spiritus Sancti, qua te totam penetravit, adeoque gratiosam effecit, quod omnis, qui per te gratiam quærit, eam inveniat. Admoneo te illius operationis, quam tota Beatissima Trinitas in te operata est, cum carnis tuæ substantiam cum natnra divina in in una persona adunaret, ita, quod DEus fieret homo, & homo DEus: ex quo quantam in illa hora dulcedinem & lætitiam conceperis, nullus homo plene valet experiri. Ideoque omnis creatura cum admiratione agnoscit & confitetur te benedictam & supperexaltatam super omnes cœlicas, atque terrenas creaturas; & benedictum fructum ventris

tui

tui JEſum, qui omnia vivificat, ſanctificat, & benedicit in ſæcula. Amen.

Alia Oratio ad B. V. Mariam.

Quot maris ſunt guttæ, quot cæli Stellæ, quot Beatorum Spirituum agmina, quot arborum folia, quot humi gramina, quot æris atomi, quot ignium flammulæ, quot terræ arenulæ, quod univerſi ſingularia, quot rerum poſſibilia: toties ex intimo cordis mei affectu te ſaluto, & laudo, O! nobiliſſima, & pulcherrima, O! glorioſiſſima, & lectiſſima, O! benigniſſima & præclariſſima DEI Mater, & cœli Regina, Domina mea Virgo Maria. Saluto autem te, & laudo in unione amoris, & per cor dilectiſſimi Filii tui JEſu, atque omnium te amantium, meque tibi commendo, atque in proprium Filium, utinam dignum mancipium tuum aſſigno. Oro etiam, ut tu me ſuſcipias, & apud DEum tuum dilectiſſimum Filium impetres, ut totus ſim poſt DEum, & natum Filium tuum, tuus, & tu tota mea, Patrona, Conſolatrix, & Adjutrix mea, dulciſſima cogitatio, loquela, imitatio, & coronatio mea. Amen.

Oratio ad B. V. Mariam mire elegans permodum Intentionis dicenda.

O! Sanctiſſima DEI, & mea, Mater pretioſiſſima, ego N. indigniſſimus filius tuus, ex toto corde, omnibuſque tam corporis quam animæ



C. P. S. C. M.　　Klauber Cath. Sc. et exc. A. V.


nimæ viribus centies, millies, imo infinites te ſaluto: te omni paſſibili, omnium poſſibilium, & actualium creaturarum affectu amare, tibi uſque at ultimum vitæ Spiritum, quantum poſſibile erit, placere & ſervire deſidero. Hoc unum per pretioſiſſimum JEſu Filii tui Sanguinem, per immaculatam Conceptionem tuam, & per hodiernorum, ac omnium Sanctorum cultui tuo addictorum amorem ſuppliciter rogo, ut me, non obſtante peccatorum meorum mole, in filium aſſumere, hodie in omnibus actionibus regere, ac ab omni peccato immunitatem impetrare digneris: tibi corpus, & animam, omnia diei hujus verba, cogitationes & opera demiſſiſſime offero, tu ea Filii tui, tuis, & omnium SS. meritis unita æterno Patri præſenta, ut per ea, ac tuum O! clemens! O! pia! O! dulcis Mater interceſſionem, felicem ex hac vita exitum, & beatam æternitatem merear obtinere. Hoc itidem mihi impetrate: Virginee Sanctiſſimæ Virginis Sponſe S. Joſeph, S. Joachim, S. Anna, & quotquot aliqua cum JEſu & Maria cognatione conjuncti eſtis. Omnes Sancti, ſpecialiter a DEI Matre dilecti, voſque imprimis, quibus hodie mortuis opem illá tulit, omneſque Sancti illius diei, quæ mihi agonizanti ultima erit.

De myſteriis & recitatione Roſarii B. V. Mariæ.

Roſarium apud Catholicos aliud nihil eſt, quam ſertum quoddam Spirituale myſticis vocibus ex Evangelio depromptis, tanquam roſis coutextum, quod Virgini Virginum DEI Matri offerrimus. Serta enim Virginum capitibus ornandis proprie adhibentur. Roſarium autem conſtat Oratione Dominica quinquies & Salutatione Angelica quinquageſies repetita: Vnde Roſarium tertio dictum efficit numerum 150. qui eſt numerus Pſalmorum Davidicorum, a quo numero vocarunt trinum illud Roſarium Pſalterium B. Virginis. Quinquies in Roſario orationem Dominicam repetimus, ut quinque vulnerum Chriſti memoriam refricemus: Salutationem vero Angelicam cuique Orationi decies ſubjicimus, ut in mentem nobis veniat decem DEI mandatorum obſervatio. Eandem quinquageſies toto Roſario iteramus, ut plenam peccatorum remiſſionem, quæ quinquagenario numero Iubilæi in Scripturis Sanctis ſignificatur, interceſſione B. Virginis per merita Dominicæ Paſſionit conſequamur. Porro ut mens orantis, cui difficile videtur, & tædioſum ad eadem verba toties repetita attendere, fructu ſuo non careat, pie ordinatum eſt, ut quodlibet Roſarium quinque myſteriis perſiceretur, quibus meditandis, dum os verbæ profert, mens occuparetur. Primo Roſario aſſignata ſunt quinque gaudia S. V. Mariæ quinque Decadibus accommodæta, quibus illa ex his, quæ circa Chriſti naturam humanam contigerunt, affecta fuit. In ſecundo memoria ſit quinque myſteriorum Paſſionis Chriſti.

In

FESTUM ROSARII B.^{mae} V. MARIÆ. SEU DE VICTORIA.



C.P.S.C.M. *Klauber Cath. Sc. et exc. A.V.*

in tertio proponuntur quinque myſteria glorioſa Chriſti Paſſionem ſecuta, modo ſequenti:

In Roſario gaudioſo:

Ad ſingulas Decades cuilibet Salutationi Angelicæ poſt nomen JEſus adjicitur:

Ad 1. Quem Virgo concepiſti.
Ad 2. Quem viſitando Eliſabeth portaſti.
Ad 3. Quem Virgo genuiſti.
Ad 4. Quem in Templo præſentaſti.
Ad 5. Quem in Templo inveniſti.

In Roſario doloroſo.

Ad 1. Qui pro nobis Sanguinem ſudavit.
Ad 2. Qui pro nobis flagellatus eſt.
Ad 3. Qui pro nobis ſpinis coronatus eſt.
Ad 4. Qui pro nobis Crucem bajulavit.
Ad 5. Qui pro nobis crucifixus eſt.

In Roſario glorioſo.

Ad 1. Qui reſurrexit a mortuis.
Ad 2. Qui ad Cœlum aſcendit.
Ad 3. Qui Spiritum Sanctum miſit.
Ad 4. Qui te in Cælum aſſumpſit.
Ad 5. Qui te in Cœlis coronavit.

Jam valde in uſu eſt id genus Roſarii, quod Divæ Virginis Corona dicitur, quæ ſex Decadibus continetur quibus adjicitur Oratio Dominica, & ter Salutatio Angelica, & poſtrema concluditur Symbolo Apoſtolorum. Corona hæc inventa & uſurpata videtur in honorem ſexaginta trium annorum, qui a multis D. Virgini tribuuntur, ut ſingulis annis reſpondeant ſin-

gulæ Salutationes Angelicæ, quæ sunt 63. Corona autem hæc cum recitatur, in quinque primis Decadibus anteacta mysteria pia cogitatione evolvi debent. In sexta autem Decade eadem repeti possunt, primum scilicet in primo Ave, secundum in secundo, & sic deinceps, ita ut in decem illius decadis Salutationibus his singula mysteria repetantur, aut in duabus primis Salutationibus unum, in duabus secundis secundum, & sic deinceps: aut certe unum aliquod mysterium, in quo magis nos commoveri sensimus, in tota ultima subjiciatur. Ad tria autem ultima Ave Maria, virtutes subjectas, vel alias pro cujusque devotione per intercessionem gloriosæ Virginis possumus a DEO postulare, hoc modo:

In Rosario gaudioso.

JEsus, qui nobis augeat { fidem rectam / spem firmam / charitatem perpetuam } S. Maria &c.

In Rosario doloroso.

JEsus, qui nobis { Intellectum illuminet / voluntatem perficiat / memoriam roboret } S. Maria &c.

In Rosario glorioso.

JEsus, qui nostra { dirigat cogitata / regat verba / gubernet opera } S. Maria &c.

Absoluta quavis Decade, quasi animi recreandi causa hisce verbis ad gratulationem te excitabis.

Abso-

Absoluta prima: Decies millies benedicant te, Virgo Mater gloriosa Maria, omnes Angeli, universique Curiæ cœlestis Spiritus, cum quibus speramus te aliquando videre, colereque in cœlo. Amen.

Post Secundam: Decadem: Vicies millies te benedicant, Virgo Mater, gloriosa Maria, omnes Sancti Patriarchæ, Prophetæ, Innocentes, S. Joannes Baptista, & omnes Sancti antiqui Testamenti, cum quibus speramus te aliquando videre, colereque in cœlo. Amen.

Post Tertiam: Tricies millies te benedicant, Virgo Mater gloriosa Maria, omnes Sancti Apostoli, Discipuli Domini Evangelistæ, omnesque gloriosi Martyres, cum quibus speramus &c.

Post Quartam: Quadragies millies te benedicant, Virgo Mater gloriosa Maria, omnes Sancti Confessores, Episcopi, Doctores, Monachi, Eremitæ, Virgines, Vidui, Conjugati, cum quibus &c.

Post Quintam: Quinquagies millies te benedicant, Virgo Mater, gloriosa Maria, Sancta Anna Mater tua, & Maria cognata tua, amicissimaque tibi Magdalena & Martha, & omnes Sanctæ Virgines, Viduæ, Conjugatæ, cum quibus &c,

Post Sextam: Centies millies te benedicant Virgo Mater gloriosa Maria omnes Sancti, & electi DEI cum quibus &c.

Innocentii III. Papæ Hymnus ad B. V. Mariam.

Ave mundi ſpes Maria, Ave mitis Ave pia, Ave plena gratia, omnis boni copia.

Ave Virgo Mater Chriſti, tu quæ ſola meruiſti eſſe Mater ſine viro, & lactare more miro.

Angelorum Imperatrix, peccatorum Conſolatrix, conſolare me lugentem, in peccatis jam fætentem.

Conſolare peccatorem, & ne tuum des honorem alieno aut crudeli precor te Regina cœli.

Me habeto excuſatum apud Chriſtum tuum natum: cujus iram expaveſco, & furoem contremiſco.

Nam peccavi tibi ſoli, O! Maria Virgo, noli eſſe mihi aliena, gratia cœleſti plena.

Eſto Cuſtos cordis mei, ſigna me timore DEI, confer vitæ ſanitatem, & da morum honeſtatem.

Da peccata me vitare, & quod bonum eſt amare, O! dulcedo virginalis, non fuit, nec erit talis.

Inter natas mulierum omnium Creator rerum Te elegit Genitricem, qui Mariam peccatricem.

Emundavit a reatu, ipſe me tuo precatu a peccatis cunctis tergat, ne infernus me demergat.

Eja rosa ſine ſpina, peccatorum medicina, pro me Chriſtum interpella, ut me ſalvet a procella.

Hujus

FESTUM ANNUNTIATIONIS B.mæ V. MARIÆ.



C. P. S. C. M.

Göz et Klauber Cath. Sc. et exc. A. V.

Hujus mundi tam immundi cujus fluctus furibundi omni parte in me impingunt, & peccati zona ſtringunt.

Alius Rhythmicus ad B. V. Mariam.

Ave Virgo gratioſa Stella ſole clarior,
Mater DEI glorioſa, favo mellis dulcior:
Tu es illa ſpecioſa, qua nulla eſt pulchrior,
Rubicunda plus quam roſa, lilio candidior.
Martyr ex compaſſione, Roſa rubicundior,
Plena miſeratione, nectare ſuavior.
Cunctis gratiis ornata, univerſis Sanctior,
Terræ, cœloque prælata, creaturis altior.
Omnis Virtus te decorat, Angelis es purior:
Omnis Sanctus te honorat, Beatis felicior.
Mille fulgens nunc coronis, Chriſto tu vicinior,
Ejus adornata donis, omnium clementior.
Præſta miſellis juvamen, Regina clementiæ,
Mœrentibus fer ſolamen, aurora lætitiæ.
Prædulcis fons pietatis poſce nobis veniam,
Et purgatos a peccatis duc ad cœli gloriam.
Amen.

HYMNUS

De B. V. MARIA mire devotus.

Quem S. Caſimirus Princeps (Filius Regis Poloniæ Caſimiri Jagellonii, & Reginæ Eliſabethæ Auſtriacæ, Filiæ Alberti ſecundi Imper,) & compoſuit ipſe, & quotidie recitare ſolitus fuit, tantaque devotione coluit, ut etiam ſepeliri ſecum voluerit, prout Anno M. DC. IV. quando Sancti illius Sepulchrum renovatum fuit, ſupra pectus ipſius repertus eſt.

Omni Die dic Mariæ mea laudes anima, ejus festa, ejus gesta cole devotissima.

Contemplare & mirare ejus celsitudinem, dic felicem Genitricem, dic Beatam Virginem.

Ipsam cole, ut de mole criminum te liberet, hanc apella, ne procella vitiorum superet.

Hæc persona nobis dona contulit cœlestia, hæc Regina nos divina illustravit gratia.

Lingua mea dic trophea Virginis puerperæ: quæ inflictum maledictum miro transfert germine.

Sine fine dic Reginæ mundi laudum cantica, ejus bona semper sona, semper illa prædica.

Omnes mei sensus ei personate gloriam, frequentate tam Beatæ Virginis memoriam.

Nullus certe tam disertæ exstat eloquentiæ, qui condignos promat hymnos ejus excellentiæ.

Omnes laudent, unde gaudent, Matrem DEI Virginem; nullus fingat, quod attingat ejus celsitudinem.

Sed necesse quod prodesse piis constat mentibus ut intendam quod impendam me ipsius laudibus.

Quamvis sciam, quod Mariam, nemo digne prædicet, tamen vanus, & insanus est, qui illam reticet.

Cujus vita erudita disciplina cœlica argumenta, & figmenta destruxit hæretica.

Hujus mores tanquam flores exornant Ecclesiam, actiones & sermones miram præstant gratiam.

Evæ crimen nobis limen paradiſi clauſerat, hæc dum credit, & obedit, cœli clauſtra reſerat.

Propter Evam homo ſævam accepit ſententiam, per Mariam habet viam, quæ ducit ad Patriam.

Hæc amanda, & laudanda cunctis ſpecialiter, venerari prædicari, eam decet jugiter.

Ipſa donet, ut quod monet natus ejus, faciam, ut finita carnis vita lætus hunc aſpiciam.

O! cunctarum fæminarum decus atque gloria, quam electam & evectam ſcimus ſuper omnia.

Clemens audi tuæ laudi, quos inſtantes conſpicis munda reos, & fac eos donis dignos cœlicis.

Virga jeſſe, ſpes oppreſſæ mentis & refugium, Decus mundi, lux profundi, Domini Sacrarium.

Vitæ forma, morum norma, plenitudo gratiæ, DEI templum, & exemplum totius Juſtitiæ.

Virgo ſalve, per quam valvæ cœli patent miſeris, quam non flexit, nec allexit fraus ſerpentis veteris.

Generoſa & formoſa David Regis Filia, quam elegit Rex, qui regit, & creavit omnia.

Gemma decens, roſa recens, caſtitatis lilium, caſtum chorum ad polorum quæ perducis gaudium.

Actionis & ſermonis facultatem tribue, ut tuorum meritorum laudes promam ſtrenue.

Opto nimis, ut imprimis des mihi memoriam, ut decenter, & frequenter tuam cantem gloriam.

Quamvis muta, & polluta mea sciam labia præsumendum, nec silendum est de tua gloria.

Virgo gaude, omni laude digna & præconio, quæ damnatis liberatis facta es occasio.

Semper munda, & fæcunda Virgo tu puerpera, Mater alma, velut palma florens, & fructifera.

Ejus flore, & odore recreari cupimus, cujus fructu nos a luctu liberari credimus.

Pulchra tota sine nota cujuscunque maculæ, fac nos mundos & jucundos te laudare sedule.

O! Beata per quam data nova mundo gaudia & aperta fide certa regna sunt cœlestia.

Per te mundus lætabundus novo fulget lumine, antiquarum tenebrarum exutus caligine.

Nunc potentes sunt egentes sicut olim dixeras, & egeni fiunt pleni, ut tu prophetaveras.

Per te morum nunc pravorum relinquuntur devia, doctrinarum perversarum pulsa sunt præstigia.

Mundi luxus, atque fluxus docuisti spernere, DEum quæri, carnem teri, vitiis resistere,

Mentis cursum tendi sursum pietatis studio, Corpus angi, motus frangi, pro cœlesti præmio.

Tu portasti inter casti ventris claustra Dominum, Redemptorem ad honorem nos reformans pristinum.

Mater facta, sed intacta genuisti Filium, Regem Regum, atque legum Creatorem omnium.

Benedicta per quam victa mortis est versutia destitutis spe salutis datur indulgentia.

Benedictus Rex invictus, cujus Mater crederis, qui creatus ex te natus nostri salus generis.

Reparatrix, Consolatrix desperantis animæ, a præssura, quæ ventura malis est, nos redime.

Pro me pete, ut quiete sempiterna perfruar, ne tormentis comburentis stagni miser obruar.

Quod requiro, quod suspiro mea sana vulnera, & da menti te poscenti gratiarum munera.

Ut sim castus, & modestus, dulcis, blandus, sobrius, pius, rectus, circumspectus simultatis nescius.

Eruditus, & munitus divinis eloquiis, timoratus, & ornatus sacris excercitiis.

Constans, gravis, & suavis, benignus, amabilis, simplex, purus, & maturus, patiens, & humilis.

Corde prudens, ore studens veritatem dicere, malum nolens, DEum colens pio semper opere.

Esto turrix, & adjutrix Christiani populi, pacem præsta, ne molesta, nos perturbent sæculi.

Salutaris Stella maris summis digna laudibus, quœ præcellis cunctis Stellis, atqne luminaribus.

Tua dulci prece fulci, supplices, & refove, quidquid gravat, vel depravat mentes nostras, remove.

Virgo gaude, quod de fraude Dœmonum nos liberas, dum in vera & sincera DEum carne generas.

 Illiba-

Illibata & dotata cœlesti progenie, gravidata, nec privata flore pudicitiæ:

Nam quod eras perseveras, dum intacta generas, illum tractans, atque lactans, per quem facta fueras.

Commendare me dignare Christo tuo Filio, ut non cadam, sed evadam de mundi naufragio.

Fac me mitem, pelle litem, compesce lasciviam, contra crimen da munimen, & mentis constantiam.

Non me liget, nec fatiget sæculi cupiditas, quæ indurat, & obscurat mentes sibi subditas.

Nunquam ira, nunquam dira me vincat elatio, quæ multorum fit malorum frequenter occasio,

Ora DEum, ut cor meum sua servet gratia, ne antiquus inimicus seminet zizania.

Da levamen & juvamen tuum illis jugiter tua festa, sive gesta, qui colunt alacriter.

Suspirium ad B. V. Mariam Joannis Nicolai Weislinger.

Si stygis rictu Leo me lacesset,
Et meæ rixas Animæ facesset
Adjuva Virgo, properansque tutum
objice scutum

Fac putrem carnis reprobare limum,
Subdolum mundi superare fimum
Pro tribunali supero perora
mortis in hora,

FESTUM MATRIS DOLOROSÆ.
Adſtitit Regina à dextris tuis. Pſ. 44.



C. P. S. C. M. Klauber Cath. Sc. et exc. A. V.

Si tubæ tumba sonus evocabit,
Et coram mundo reus ipse stabit,
Tu mei Virgo memor indigentis
esto clientis.

OFFICIUM
PARVUM DE SEPTEM DOLORIBUS B. V. MARIÆ.
AD MATUTINIUM.

Gladius a Simeone prædictus.

℣. Eja mea labia nunc annunciate.
℟. Dolores, & Compassionem Virginis Beatæ.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

Septem tuos dolores
Maria, dum considero,
Tecum pati labores,
Tecum mori desidero.
Annæ gemit senectus,
Et Simeon affligitur,
Doloris ense pectus
Quando Tibi transfigitur.

℣. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit.
℟. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

ORA-

ORATIO.

Interveniat pro nobis, quæſumus Domine JEſu Chriſte, nunc, & in hora mortis noſtræ, apud tuam clementiam Beata Virgo Maria, Mater tua, cujus ſacratisſimam animam in hora paſſionis tuæ doloris gladius pertranſivit. Per te JEſu Chriſte, Salvator Mundi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

AD PRIMAM.

Fuga in Aegyptum.

℣. Deus in adjutorium &c.

HYMNUS.

Fugis Maria prolis
   Onuſta charo pondere,
Et luminare ſolis
   De nocte vis abſcondere.
Aegyptus eſt aſyli
   Locus tuis amoribus;
Juxta fluenta Nili
   Liquescis in doloribus.

℣. Tuam ipſius animam &c. *ut ſupra.*

Oratio. Interveniat pro nobis &c.

AD TERTIAM.

Filii amiſſio.

℣. Deus in adjutorium &c.

HYMNUS.

In Patris eſſe rebus
   Cum neſciebas Filium,

Visa es tribus diebus
   Pallere sicut lilium.
Clamans per angiportus,
   Fili! replebas æthera:
Dictura plus, obortus
   Dolor premebat cætera.
℟. Tuam ipsius animam &c. *ut supra.*
   Oratio. Interveniat pro nobis &c.

AD SEXTAM.

Occursus Christi bajulantis crucem.

℣. Deus in adjutorium &c.

HYMNUS.

En fert trabale lignum
   Flagrisque JEsus icitur.
O Mater! ecce signum,
   Cui porro contradicitur.
Eheu! Crucem ferenti
   Corpus pluit cruoribus,
Et cor, tibi Parenti
   Submergitur doloribus.
℣. Tuam ipsius animam &c. *ut supra.*
   Oratio. Interveniat pro nobis, &c.

AD NONAM

Adstat Mater crucifixo Filio.

℣. Deus in adjutorium &c.

HYMNUS.

Calvaria est amoris,
   Et est doloris vinea,
Sunt plena vinitoris:
   Clavi & Corona Spinea

Dum

Dum fixus eſt JEſus,
    Crucisque calcat torculum
Amor dolore læſus,
    Premit Mariæ corculum.
℣. Tuam ipſius animam &c. *ut ſupra.*
    Oratio. Interveniat pro nobis &c.

AD VESPERAS.

De cruce depoſitum Filium gremio exipit.
℣. Deus in adjutorium &c.

HYMNUS.

Maria quando petra
    Senſu doloris ſcinditur.
Diesque nocte tetra
    Luget, Tibi cor finditur.
Depoſta membra ligno,
    Sed membra caſſa lumine,
Foves ſinu benigno,
    Lavas doloris Flumine.
℣. Tuam ipſius animam &c. *ut ſupra.*
    Oratio. Interveniat pro nobis &c.

AD COMPLETORIUM.

Planctus Virginis ad ſepulturam.
℣. Convertat nos Domina tuis precibus placatus JEſus Chriſtus Filius tuus.
℟. Et avertat iram ſuam a nobis.
℣. Deus in adjutorium &c.

HYMNUS.

Cum Filio ſepulto
    Lapis ſepulchro advolvitur.

Tibi

Tibi Maria, multo
Dolore vita ſolvitur.
Sedens ad antra tumbæ,
Mæſto ſuſurro murmuris,
Inſtar gemis columbæ
Et plangis inſtar turturis.

℣. Tuam ipſius animam &c. *ut ſupra.*

Oratio. Interveniat pro nobis. &c.

COMMENDATIO.

O Mater! ut, dolorum
Per hanc amaritudinem,
Cœleſtium honorum
Guſtem ſuavitudinem;
Tecum pati labores,
Tecum mori deſidero
Septem tuos dolores
Dum plango, dum conſidero.

Planctus B. V. Mariæ.

Stabat Mater doloroſa, juxta Crucem lacrymoſa dum pendebat Filius.

Cujus animam gementem, contriſtantem & dolentem pertanſivit gladius.

O! quam triſtis & afflicta, fuit illa Benedicta Mater Unigeniti.

Quæ merebat, & dolebat, & tremebat, cum videbat nati pœnas inclyti.

Quis eſt homo, qui non fleret, Chriſti Matrem ſi videret in tanto ſupplicio?

Quis non poſſet contriſtari, piam Matrem contemplari dolentem cum Filio?

Pro peccatis ſuæ gentis vidit JEſum in tormentis & flagellis ſubditum.

Vidit ſuum dulcem natum, morientem deſolatum dum emiſit Spiritum.

Eja Mater fons amoris, me ſentire vim doloris fac, ut tecum lugeam.

Fac ut ardeat cor meum in amando Chriſtum DEum, ut ſibi complaceam.

Sancta Mater iſtud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo valide.

Tui nati vulnerati tam dignati pro me pati pœnas mecum divide.

Fac me vere tecum flere Crucifixo condolere donec ego vixero.

Juxta Crucem tecum ſtare te libenter ſociare in planctu deſidero.

Virgo Virginum præclara mihi jam non ſis amara fac me tecum plangere.

Fac, ut portem Chriſti mortem Paſſionis ejus ſortem, & plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari, Cruce hac inebriari ob amorem Filii.

Inflammatus, & accenſus per te, Virgo, ſim defenſus in die Judicii.

Fac me Cruce cuſtodiri, morte Chriſti præmuniri, confoveri gratia.

Quando Corpus morietur, fac, ut animæ donetur Paradiſi gloria. Amen.

℣. Tuam ipſius animam &c.

Oratio. Interveniat pro nobis &c. *ut ſupra.*

PURITAS PURIFICATA.

FESTUM PURIFICATIONIS B.mae V. MARIÆ.



Impleti sunt dies purgationis Mariae Luc. 2.

C.P.S.C.M. Ios. et Ioa. Klauber Cath. Sc. et exc. A.V.

Modi colendi Festa B. V. Mariæ, ut Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, Visitationis, Assumptionis, S. Nominis B. V. Mariæ.

In Festo Conceptionis.

Licet omni die abstinere a majoribus peccatis non tantum, sed etiam a venialibus, & imperfectionibus debeamus: nihilominus tamen cavendum est, ne in hac tam gloriosa die, in qua sanctissima DEI Genitrix sine labe concepta est, nos vitio aliquo, etiam levissimo deliberato, contaminemus: verum in omni potius virtute nos sedulo exerceamus.

De hoc mysterio Conceptionis Immaculatæ aliquo tempusculo pie meditari, & Officium B. V. Mariæ sine labe conceptæ in honorem ipsius recitare.

Quotiescunque sub oratione aut lectione dicitur nomen Mariæ: si non ore saltem corde pronuntiare: Ave Maria sine labe concepta: & caput inclinare. Quæ praxis in aliis etiam ejusdem B. V. Mariæ festivitatibus servanda est.

S. Communionem hac die specialissime in honorem ipsius peragere, ut quemadmodum illa sine labe a Matre concepta est, ita & nos a DEO hospite cordis nostri sine labe alicujus peccati etiam venialis suscipiamur in gratiam.

Specialem etiam devotionem instituere hac die in honorem Sanctæ ejus Genitricis Annæ.

In Festo Nativitatis.

Primo ut supra in festo Conceptionis §. 1.

A Delicatioribus cibis, aut saltem bolis abstinere, dedicandos B. V. Mariæ natæ, offerendo pro animabus in Purgatorio B. Virgini charissimis, & quæ ejus Cultum promoverunt.

Novies dicere hac die Ave Maria cum ſpeciali affectu & devotione.

In lecto uno quadrante, aut media hora, aut quanto tempore conducens erit, immote jacere.

Item hac die ſaltem Novies cum ſumma cordis jubilatione recitare Antiphonam: Salve Regina, tanquam cujus Nativitas gaudium annuntiavit univerſo mundo.

In Feſto Purificationis.

Primo ut ſupra.

Specialiter ſe hac die pro S. Communione præparare, eamque cum ſummo cordis affectu peragere, & ſacro ſanctiſſimum Corpus Chriſti recipere, tanquam Simeon ipſum in ulnas reciperet, quem Maria in Templo præſentavit.

Specialia aliqua pia opera B. Mariæ hac die offerre, ut: loco turturum ſpeciales aliquos actus charitatis, humilitatis &c.

Specialiter animarum in Purgatorio recordari; & pro illis aliqua ſingularia opera aut mortificationes aſſumere, vel certe in pervigilio.

In Feſto Viſitationis.

Hac die ſpecialem aliquem actum heroicum exercere, & de ſe reportare victoriam.

Affectus quosdam extra ordinarios Sanctiſſimæ Matri exhibere, tanquam illa nos viſitaret, v. g. ad menſam ſervare modeſtiam plus ſolito, ab abundantiore abſtinere potu &c. & omnia in honorem ejus facere.

Ipſius Canticum ſingulariter hac die ſæpius, aut loco teſſeræ in honorem ipſius revolvere.

Cum pauperibus, humilibus, & deſpectis (non tamen ſcandaloſis) familiarius aliquantum converſari, iis ſpecialiter affectus & charitatis ſigna exhibendo.

In honorem Parentum S. Joannis Baptiſtæ, & ipſius S. Joannis aliqua ſpecialia dicere aut facere hac die.

In

In Festo Assumptionis.

Devotissime hac die orare Rosarium sex Decadum in honorem annorum B. V. vel duplicare.

Officium ipsius absolvere cum summo fervore tanquam in Conspectu Angelorum gaudentium.

Specialiter & de novo se consecrare in Sodalem, Filium, Servum & mancipium B. V. Mariæ, & de ejus laudibus, Privilegiis &c. cum aliis conferre & deprædicare.

In Festo Nominis SS. Mariæ.

Rosarium quinque Decadum supra solitum pensum in honorem quinque litterarum hujus SS. Nominis absolvere Hymnos qui incipiunt a litteris ejus Nominis dicere ut: Magnificat. Ave Maris Stella. Regina cœli. Alma Redemptoris. JEsu Corona Virginum.

Quinque Psalmos, qui incipiunt a litteris Nominis orare, ut: Magnus Dominus, & laudabilis. Ad Dominum cum tribularer. Retribue Servo tuo. In convertendo. Ad te levavi. Addendo: Maria admirabilis ora pro me.

Pridie ante Festum quinque ictus disciplinæ facere. Quinquies genua flectere, vel osculari terram: mane ob quinque mysteria gaudiosa, a meridie ob dolorosa, Vesperi ob gloriosa, addito: Salve.

Alii modi B. V. Mariam quotidie colendi.

I.

Cum orare ad eam incipis, prius dic: Dignare me laudare te &c.

2. Cum desinis orare, roga, ut Angeli suppleant defectus.

3. Si potes, labora, ut ante ejus Imaginem lampas ardeat.

4. Nomen ejus cum reverentia nominare, scribere, pingere, sculpere.

5. Imagines ejus decentiſſimo loco ponere.

6. Quoties ejus imaginem tranſis, venerari.

7. Ad januam imaginem habere, ut quoties exis, vel redis, ſi non oſculeris, ſaltem affectu venereris.

8. Imaginem ejus floribus aut aliis modis exornare.

9. Cultum ejus apud alios procurare.

10. Coram altari ejus ſæpius orare, & ſe devovere.

11. Officium Immaculatæ Conceptionis & Roſarium orare.

12. Eundo ad templum invitare ſecum Sanctos, qui eam ſpecialiter coluerunt. ut S. Ildefonſus, Anſelmus, Bernardus, Edmundus &c.

13. Ad recreattonem eundo imaginari B. V. Mariam Chriſtum cum S. Joſepho ducentem.

14. In honorem novem menſium, quibus Chriſtum in utero geſſit, novies dicere Ave.

15. In cubili tuo diſponere varios locos ejus Cultui celebres: hic Lauretum, hic Czeſtochoviam &c. adjectis imaginibus, & in ſingulis orare, acſi peregrinareris.

16. Terram in honorem ejus oſculari, ut ejus mancipium.

17. Ave duodecies recitare in honorem 12. prærogativarum.

18. Ave 24. vicibus dicere pro ſingulis horis diei & noctis.

19. Ter Pater, & Ave Maria dicere gratias agendo SS. Trinitati pro donis, quibus B. V. Mariam cumulavit.

20. Quidquid quis petit in honorem ejus, ſi potes, non recuſare, ſed explere.

21. Singulis diebus ab uno certo vitio in honorem ejus abſtinere, & aliquam certam virtutem exercere: unam etiam actionem perfecte perficere. Propoſita meditationis ei conſecrare, & de ejus excellentia ſubinde meditari.

22. Libellos de ea tractantes ſæpius legere.

23. Diebus Sabbathi in honorem ejus jejunare, vel aliud quid piam in honorem ejus facere.

24. Pre-

FESTUM DESPONSATIONIS B^mae^ V. MARIÆ.

Faciamus ei adjutorium simile sibi. Gen. 2.



Pars bona mulier bona, dabitur viro pro factis bonis. Eccl. 26.

C. P. S. C. M. — Göz et Klauber Cath. Sc. et exc. A. V.

24. Preces jaculatorias ad eam frequenter dicere.

25. Tot Ave, quot annis vivis recitare in gratiarum actionem.

26. Supplere negligentiam eorum, qui eam non colunt, dicendo: Salve.

27. Quoties hora sonat, toties dicere Ave, & actum amoris elicere. Eſt indulgentia dierum 1000. pro dicentibus Ave Maria.

28. De ea honorifice loqui, titulos formare, miracula ejus referre.

29. Bona ejus Tutelæ dedicare.

30. Animas e Purgatorio plurimas conari liberare, ut pro te ferventius in cælo B. V. Mariam colant.

31. Surgendo prima cogitatio ſit de B. V. Maria, & noctu ultima.

32. Nullum negotium, maxime grave, incipere, niſi prius illi commendetur.

33. Hortari alios, ut coronam ejus dicant.

34. Cum tibi aliquid bene ſuccedit, illi gratias agere.

35. Benedictiones ejus formare v. g. benedicite, eam centies millies, Angeli, vicies millies Archangeli: idque per choros Angelorum vel Sanctorum facere.

36. Roſarium ejus, libros &c. in mundiori loco ſervare.

37. Solari ejus ſeptem dolores.

38. Commendare, & offerre Cultus Religionum variarum per ordinem, qui eam magis colunt.

38. Actiones in unione actionum B. Virginis offerre, & eas imitari conari.

40. Deſpondere ſe B. V. Mariæ per annulum ei conſecratum.

41. Sacrum ſic offerre: Introibo: quem reclinavit in præſepio. Epiſt. Circumcidendum obtulit. Evang. Valedixit ei Chriſtus eundo ad Paſſionem. Offert. cum mulieribus flevit. Elevat. obtulit ejus ſanguinem. Commun. In Sepulchrum depoſuit.

42. Eundo cubitum de collo Rosarium suspendere, profitendo te in laudibus ejus obdormire, & etiam orare velle si posses &c.

43. Sunt Indulg. Plænariæ cum liberatione animæ ex Purgatorio dicentibus ad Pulsum mane, a maridie & vespere. Angelus Domini. Ave Maria. Ecce Ancilla. Ave. Et verbum. Ave. Gratiam tuam &c.

44. Id facere etiamsi in pluribus templis pulsetur, pluries, in compensationem eorum, qui eam non salutant.

45. Votum facere Immaculatæ Conceptionis defendendæ modo debito.

46. Rosarium orando privatim, non advertentibus aliis ad singula nomina flectere genu profunde.

47. Amorem illius a DEO, & Sanctis petere, illum crebro desiderare, frequentare.

48. Ad illam in negotiis, difficultatibus tuis, & alienis recurrere, illi ægros, milites bellantes, & peccatores commendare.

49. Beneficia per illam sibi, vel aliis præstita notare.

50. Gratulari sæpius ejus gloriæ.

OFFICIUM
DE SANCTA ANNA
MATRE DIGNISSIMA B. V. MARIÆ.

AD MATUTINUM.

Ave Maria gratia plena, Dominus tecum; tua gratia sit mecum. Benedicta tu in mulieribus, & benedicta sit Sancta Anna Mater tua, ex qua sine macula & peccato tua processit caro Virginea, O! Beatissima Virgo Maria. Ex te autem natus est JEsus Christus Filius DEI vivi.

℣.

Dominator Dominus ex omnibus floribus orbis elegit sibi Lilium.
4. Esdræ. 5.



Flos de radice ejus ascendet. Is. 11.

C.P.S.C.M. Ios. et Ioa. Klauber Cath. Sc. et exc. A.V.

℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. DEus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad juvandum me festina.
Gloria Patri &c.

HYMNUS.

O! Gloriosa Domina, de cujus Virgo genere
Cœli regentem culmina lactavit sacro ubere:
Quod Eva tristis abstulit, redditur partu Filiæ
Quæ dum salutem protulit, cæli fenestra facta est.
Tu Regis alti gratiam deposce, atque veniam
Nobis, qui festa colimus tuæ perennis gloriæ,
Gloria tibi Domine, ex Annæ nate germine,
Cum Patre & Sancto Spiritu in sempiterna Sæcula. Amen.

Antiph. Cæleste beneficium introivit in Annam, per quam nobis nata est Maria Virgo.
℣. Ora pro nobis Beata Anna.
℟. Ut digni efficiamur Promissionibus Christi.

Oremus.

DEus qui Beatæ Annæ tantam gratiam conferre dignatus es, ut gloriosissimam Matrem tuam in suo beatissimo utero portare meruerit: Da nobis per intercessionem Matris & Filiæ, tuæ propitiationis abundantiam, ut quarum commemorationem pio amore amplectimur, earum precibus ad cœlestem Patriam pervenire valeamus. Qui vivis & regnas &c.

AD PRIMAM.

Ave Maria &c. *ut ſupra.*

℣. DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Clara diei gaudia modulizet Eccleſia,
In Anna Chriſti famula pangens cœli miracula.
Sit laus paterno Numini, ſit Filio, ſit flamini,
Qui nos per Annæ meritum, ad cœli ducant gaudium. Amen.

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD TERTIAM.

Ave Maria &c. *ut ſupra.*

℣. DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Anna Regum progenies, & Sacerdotum ſoboles,
Stirpem illuſtrem patribus ſuis ornavit actibus.
Sit laus paterno Numini, ſit Filio, ſit flamini,
Qui nos per Annæ meritum ad cœli ducant gaudium. Amen.

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD SEXTAM.

Ave Maria &c. *ut ſupra.*

℣. DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Nupta DEI judicio fideli Matrimonio
Juxta Verbum Angelicum, fructum concepit cœlicum.

Sit

Sit laus paterno Numini, sit Filio, sit flamini,
Qui nos per Annæ meritum ad cœli ducant gaudium. Amen.

Antiph. Versus & Oratio *ut supra.*

AD NONAM.

Ave Maria &c. *ut supra.*

℣. DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Infæcunda pro tempore, prope marcessens corpore,
Decreto Patris luminum parit Reginam Virginum.
Sit laus Paterno Numini, sit Filio, sit flamini,
Qui nos per Annæ meritum ad cœli ducant gaudium. Amen.

Antiph. Versus & Oratio *ut supra.*

AD VESPERAS.

Ave Maria &c. *ut supra.*

℣. DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Anna pia Mater ave, cujus nomen est suave, Anna sonat gratiam.
Ave Jesse radix florens, quæ cœlestis das odoris perennem fragrantiam.
Ave Parens Stellæ maris, quam tu nuptam contemplaris
Regis Regum Filio
Tu quæ sola meruisti, esse Mater Matris Christi preces nostras suscipe.

Tu nos matri, atque Proli, Regi, ac Reginæ Poli,
commendare non desine. Amen.

Antiph. Versus & Oratio *ut supra.*

AD COMPLETORIUM.

Ave Maria &c. *ut supra.*

℣. Converte nos DEus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Obtentu suæ Filiæ, Mariæ plenæ gratiæ,
Nobis Auctorem omnium reddat Anna
propitium.
Sit laus Paterno Numini, sit Filio, sit flamini
Qui nos per Annæ meritum ad cœli ducant
gaudium. Amen.

Antiph. Versus & Oratio *ut supra.*

Rhytmica S. Annæ Salutatio.

O! Mater Anna nobilis, oliva pulchra, fertilis
alto fructu fœcunda.
Beata cujus ubera suxit Virgo puerpera
ab omni labe munda.

COMMENDATIO.

Ante thronum Trinitatis miserorum Miseratrix
Anna flumen Pietatis, sis pro nobis Advocatrix,
Causam nostræ paupertatis, coram Deo sustine.
Et veniam de peccatis, servis tuis obtine. Amen.

℣. Ora pro nobis Sancta Mater Anna.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Oremus.

DEus, qui de Beatæ Annæ Matris utero dulcissimam Virginem Mariam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur Spiritu Sancto præservante absque macula originali carnem suscipere voluisti: præsta quæsumus, ut qui eam dignissimam Matrem Immaculatæ Genitricis DEI cognoscimus, Filiæ, Matrisque precibus ad declinandum a malo, & ad faciendum bonum proniores efficiamur. Per eundem Dominum nostrum &c.

Oremus.

DEus, qui Beatæ Annæ gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis Unigeniti Filii tui Mater effici mereretur: concede propitius, ut cujus solemnia celebramus, ejus apud te patrociniis adjuvemur. Per eundem &c.

OFFICIUM.

De S. Josepho Beatissimæ DEI Genitricis Sponso.

AD MATUTINUM.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

℣. Domine labia mea aperies,
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. DEus in adjutorium meum intende
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri &c.

HYM-

HYMNUS.

Joseph David Filius clara ſtirpe natus
JEſu Chriſti Domini Pater nuncupatus,
Deſponſatus Virgini mente copulatus
Utriuſque Cuſtos ex cœlo deſtinatus.

Antiph. Salve Patriarcharum decus, & Eccleſiæ Sanctæ DEI æcconomus, cui panem vitæ, & frumentum electorum conſervaſti.

℣. Ora pro nobis Sancte Joſeph:

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

Sanctiſſimæ Genitricis tuæ Sponſi, quæſumus Domine, meritis adjuvemur: ut quod poſſibilitas noſtra non obtinet, ejus nobis interceſſione donetur. Qui vivis &c.

AD PRIMAM.

JESUS, MARIA, JOSEPH, *ut ſupra.*

HYMNUS.

Tu qui Sponſam gravidam dolens cum videres,
Cogitabas anxius, an eam retineres:
Sed cœleſtis nuntius: ne amplius timeres,
In ſomnis admonuit, ſed potius gauderes.

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD TERTIAM.

JESUS, MARIA, JOSEPH, *ut ſupra.*

HYMNUS.

Bethlehem profectus cenſum ſoluturus,
Cum prægnante Virgine, ubi naſciturus

Erat

Erat mundi Dominus, quique mox facturus,
Ipſum ut Infantulum eſſes amplexurus.

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD SEXTAM.

JESUS, MARIA, JOSEPH, *ut ſupra.*

HYMNUS.

Cum Herodes impius in pueros ſæviret;
Gabrielis monitu; in ſomnis dum dormiret,
Sponſam tunc admonuit, ſecum ut veniret,
Et accepto Parvulo in Ægyptum iret.

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD NONAM

JESUS, MARIA, JOSEPH, *ut ſupra.*

HYMNUS.

Sed defunctis hoſtibus inde receſſiſti,
Atque in Gallilæam tecum reduxiſti
Puerum, & Sponſam, ſic ut didiciſti
Cœlitus; in Nazareth humilis vixiſti.

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD VESPERAS.

JESUS, MARIA, JOSEPH, *ut ſupra.*

HYMNUS.

Tu JEſum duodecim factum jam annorum,
Perdidiſti tuorum lumen oculorum,
Sed invento poſtmodum in medio Doctorum,
Miniſtraſti ſedulus Regi Angelorum.

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD COMPLETORIUM.

JESUS, MARIA, JOSEPH, *ut ſupra.*

℣. Converte nos DEus ſalutaris noſter.
℟. Et averte iram tuam a nobis.
℣. DEus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

Felix es, in ulnis quem JEſus cum Maria
Tenuit cubantem, dum in agonia
Spiritum efflares, ut directa via
Tenderes ad Patres, functus vita pia.

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

COMMENDATIO.

Has horas, Canonicas cum attentione
Dixi Joſeph ſancte, tui ratione,
Oro memor mei ſis in oratione,
Ut vivamus pariter in cœli regione. Amen.

LITANIÆ DE SANCTO JOSEPHO.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis DEus. Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEus. Miſerere nobis.
Spiritus Sancte DEus. Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus DEus. Miſerere nobis.
Sancta Maria Regina totius mundi. Ora pro nobis.

Sancte Joseph Beatæ Virginis Sponse. Ora pro nobis.

Sancte Joseph. — *Ora pro nobis.*

In ventre justificate
A peccato mortali immunis facte
In gratia confirmate
Patriarcharum Culmen.
Inter omnes in Virginis connubium electe
Ineffabilibus benedictionibus dotate
Cui Regina Cœli ministravit
Christi Pater vocate
Ghristi Tutor amantissime
Christi Nutritie fidelissime
Christi Pueri post Virginem Adorator prime
Qui Christum ab Herode liberasti
Qui Virginem traducere noluisti,
Christo & Matri simillime
Spiritus S. donis abundantissime
Vir Angelice
Qui monitione Custodis Angeli in Christo curam exercuisti.
Qui ut Angelus divina oracula retulisti
Qui ut Principatus Christum magni consilii Angelum gubernasti.
Qui ut Virtus minister Christi fuisti
Dominationibus major, cui Rex & Regina cœlorum servierunt
In cujus brachiis & gremio tanquam in throno Christus insedit

Qui

Sancte Joseph.
Qui ut Cherubin Paradisi Virginis Custodiam habuisti
Vir Seraphice
Contemplator altissime
Inter brachia Christi defuncte
Angelici Concentus auditor
Ad limbum Patrum Christi præcursor
Qui cum Christo inter alios resurrexisti
Sancte Joseph, qui corpore & animo peculiaribus gloriæ donis frueris.
Sancte Joseph Patrone & Defensor noster dulcissime.
Ora pro nobis.

Kyrie eleison. Christe eleison
Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Per Passionem dulcissimi Filii tui
℟. Exaudi populum tuum Domine
℣. Per Virginitatem dilectæ Matris Filii tui
℟. Salvum fac populum tuum Domine
℣. Per fidelitatem Sancti Joseph.
℟. Protege populum tuum Domine.
℣. Domine exaudi orationem &c.

Oremus.

Omnipotens & mitissime DEus, qui Beatum Joseph, justum, Filium David Beatæ Mariæ Virgini tuæ Matri Sponsum providisti, & tuum nutritium elegisti: Da, quæsumus, ut ejus precibus & meritis Ecclesia tua tranquilla pace lætetur, & ad perpetuæ visionis tuæ consolationem perducatur. Qui vivis &c.

Alia

Alia Oratio ad S. Josephum.

Ave per suavissimum cor JEsu, Beatissime Joseph, Sponse DEI Genitricis & Virginis dilectissime, Domini nostri JEsu Christi Pater nutritie, Patriarcharum felix clausula antiquorum, in humilitate profundissime, in fide & spe certissime, in bona operatione strenuissime, pro hominum salute sollicitissime, in contemplatione altissime, in Virginitate purissime, in omnium virtutum perfectione Sponsæ tuæ sanctissimæ immitator. Memento nostri Sanctissime Joseph, & tuæ orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede, sed & Beatissimam Virginem Mariam Sponsam tuam nobis propitiam redde, ut ejus meritis & precibus ab omni immunditia mentis & corporis cum veste nuptiali ad Convivium tuæ cœlestis dulcedinis intrare mereamur. Per Dominum nostrum &c.

Gratissima est S. Josepho illorum devotio, qui quotidie in memoriam septem dolorum & septem gaudiorum ipsius dicunt septies Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam. Dolores autem & gaudia ipsius præcipua sunt ista.

I. In desponsatione valde anxius erat de Virginali sua puritate conservanda: sed exhilarabatur, cum intelligeret, Sponsam suam itidem Virginitatis Voto se DEO consecrasse.

II. Anxius erat videns Sponsam suam prægnantem: sed gavisus est vehementer intelligens eam Spiritu Sancto concepisse.

III. Anxius erat non invento hoſpitio in Bethlehem: lætus videns JEſum recens natum, & Canticum audiens Angelorum.

IV. Anxius erat de JEſulo, cum ab Herode quærebatur ad necem! lætus cum ductu Angelico ſalvum intuliſſet in Ægyptum.

V. Anxius erat in reditu, audiens Archelaum regnare: lætus cum Angeli monitu ſalvus ſeceſſiſſet in Nazareth Galileæ.

VI. Anxius amiſſo puero in templo Jeroſolymitano: lætus eodem iterum invento inter Doctores.

VII. Anxius cum moriturus, & ad limbum iturus, a JEſu & Maria diſcederet: lætus, quod in agone utriusque præſentia & ſolatiis frueretur.

OFFICIUM.
DE S. ANGELO CUSTODE.
AD MATUTINUM.

In conſpectu Angelorum pſallam tibi DEus meus, & adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. DEus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

HYMNUS.

Salve Cuſtos Angele, Civis Paradiſi,
Impetra concivi lumen quod amiſi,

Ut

Ut quod DEO displicet, malum declinare,
Et bonum quod diligit, valeam patrare,
Tibi Pater luminum me commisit cœcum,
Mihi sanctum impetra lumen, ut sit mecum.

Antiph. Angele DEI qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hodie illumina, custodi, rege, & guberna,

℣. Angelis suis DEus mandavit de te.
℞. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Oremus.

DEus qui ineffabili Providentia Sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis, & eorum semper protectione defendi, & æterna societate gaudere. Per Dominum &c.

AD PRIMAM.

In Conspectu Angelorum &c. *ut supra.*
℣. DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Salve Custos Angele, Vigil o! Fidelis
Jam expulsis tenebris fulget Sol in cœlis.
Peccatorum tenebras, torporemque mentis,
A me pelle gratia Christi omnipotentis.
Corpus atque animam libens tibi trado,
Ut me totum dirigas, dum ad DEum vado.
Antiph. Versus & Oratio *ut supra.*

AD TERTIAM.

In conspectu &c. *ut supra.*
℣. DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Salve Custos Angele, rogo te per JEsum,
Ut me in periculis protegas illæsum:
Offer preces Domino, quas dat cor devotum,
Septiformi munere replens illud totum,
Per te Sanctus Spiritus reddat me decorum,
Qui hac hora imbuit cor Apostolorum.

Antiph. Versus & Oratio *ut supra.*

AD SEXTAM.

In conspectu &c. *ut supra.*

℣. DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Salve Custos Angele, summi Regis miles,
Cui omnes Dœmonis machinæ sunt viles,
Me quærit, ut devoret, sicut leo rapax,
Gloriæ quam perdidit, quod sim ego capax.
Arma pro me suscipe, quæso, Princeps fortis.
Ut fugatis hostibus vitem vias mortis.

Antiph. Versus & Oratio *ut supra.*

AD NONAM

In conspectu &c. *ut supra.*

℣. DEus in adjutorium &c. Gloria &. *ut supra.*

HYMNUS.

Salve Custos Angele, Consolator meus,
Hora nona obiit pro me Christus DEus:
Illi, fac, ut anima moriatur tota,
Et in bonis actibus semper sit devota,
Cor in Christi mortui plagis vita plenis
Abscondatur, liberum rebus a terrenis.

Antiph. Versus & Oratio *ut supra.*

AD VESPERAS.

In conſpectu &c. *ut ſupra.*
℣. DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Salve Cuſtos Angele, Princeps immortalis,
Noſtra in hora deperit vita corporalis,
At tu vitam animæ, & Spiritus profectum
Auge tuis precibus, redde me perfectum:
De virtute ambulem ſemper in virtutem
Ut æternam moriens aſſequar ſalutem.
Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD COMPLETORIUM.

In conſpectu &c. *ut ſupra.*
℣. Converte nos DEus ſalutaris noſter
℟. Et averte iram tuam a nobis.
℣. DEus in adjutorium &c. Gloria &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Salve Cuſtos Angele, Virgini Mariæ
Me commenda jugiter, meæ Matri piæ,
Cor amore ſaucia tam magnæ Reginæ,
Ut cum DEO diligam ipſam ſine fine
Vos me hora obitus pariter tuentes,
Ad cœleſtem patriam ducite gaudentes.
Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

COMMENDATIO.

Has horas canonicas cum devotione
Tibi Cuſtos Angele, pia ratione
Dixi, ut me viſites tua inſpiratione
Dignus ut efficiar DEI viſione.

LITANIÆ
AD SS. ANGELOS.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis DEus. Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEus. Miſerere nobis.
Spiritus Sancte DEus. Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus DEus. Miſerere nobis.
Sancta Maria Regina Angelorum. Ora pro nobis.
Sancte Michael. Ora pro nobis.
Sancte Gabriel. Ora pro nobis.
Sancte Raphael. Ora pro nobis,

Sancti Seraphim
Sancti Cherubim
Sancti Throni
Sanctæ Dominationes
Sanctæ Virtutes
Sanctæ Poteſtates
Sancti Principatus
Sancti Archangeli
Sancti Angeli
Qui ad DEI ſolium excelſum & elevatum ſtatis
Qui jugiter DEO Sanctus, Sanctus, Sanctus, concinitis
Qui diſcuſſis tenebris mentem noſtram illuminatis
Qui divina hominibus nuntiatis
Qui hominum cuſtodiam a DEO accepiſtis
Qui Semper faciem Patris, qui in cœlis eſt, videtis

Orate pro nobis.

Qui super uno peccatore pœnitentiam agente gaudetis
Qui Loth de medio peccatorum eduxiſtis
Qui per Scalam Jacob aſcendiſtis, & deſcendiſtis
Qui in monte Sinai divinam legem Moyſi tradidiſtis
Qui Chriſto nato gaudium hominibus annuntiaſtis
Qui Chriſto in deſerto miniſtraſtis
Qui Lazarum in Sinum Abrahæ deportaſtis
Qui juxta Chriſti Sepulchrum in albis ſediſtis
Qui Chriſto in cœlum aſcedente ejus Diſcipulis apparuiſtis
Qui Chriſtum ad judicium venturum cum ſigno Crucis præcedetis
Qui electos in fine ſæculi congregaturi eſtis
Qui malos de medio juſtorum ſeparabitis
Qui orantium preces ad DEum defertis
Qui morientibus aſſiſtitis
Qui animas juſtorum ab omni labe purgatas ad cœlum deducitis
Qui prodigia & miracula virtute DEI perpetratis.
Qui hæreditatem ſalutis capientibus in miniſterium mittimini
Qui ſuper Regna & Provincias conſtituti eſtis
Qui hoſtium exercitus ſæpe diſſipaſtis
Qui DEI famulos ex carceribus & aliis vitæ periculis ſæpe liberaſtis

} Orate pro nobis.

Qui ſanctis Martyribus in tormentis ſæpe ſolatio fuiſtis
Qui Eccleſiæ Prælatos & Principes ejuſdem nutritios peculiari cura fovere ſoletis
Omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines } Or. pro nob.
A cunctis periculis Libera nos Domine
Ab inſidiis Diaboli
Ab omni hæreſi & ſchiſmate
A peſte, fame & bello
A ſubitanea & improviſa morte
A morte perpetua
Per ſanctos Angelos } Lib. nos Dom.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas. Te rogamus audi nos.
Ut nobis indulgeas. Te rogamus audi nos.
Ut Eccleſiam tuam Sanctam regere & conſervare digneris. Te rogamus audi nos.
Ut Domum Apoſtolicum, & omnes Eccleſiaſticos Ordines protegere digneris. Te rogamus audi nos.
Ut Imperatori noſtro; Regibus et omnibus Principibus Chriſtianis pacem & unitatem largiri digneris. Te rogamus audi nos.
Ut fructus terræ dare & conſervare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris. Te rogamus audi nos.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster &c.
℣. Laudate Dominum omnes Angeli ejus.
℟. Laudate eum omnes virtutes ejus.
℣. Benedicite Domino omnes virtutes ejus.
℟. Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.
℣. Angelis suis DEus mandavit de te.
℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
℣. Domine exaudi orationem meam
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas, concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in cælo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur.

Omnipotens & misericors DEus, qui nos Angelica custodia munire dignatus es, concede quæsumus: ut tanta protectione securi, & a pravis cogitationibus liberemur in mente, & ab omnibus adversitatibus eruamur in corpore. Per Dominum &c.

Alia Oratio ad S. Angelum. Custodem.

Obsecro te Angelice Spiritus, cui ego indignus peccator ad providendum commissus

 sum,

ſum, ut indeſinenter protegas, defendas, munias me ab omni incurſu Diaboli vigilantem, dormientem, ac ubicunque fuero. Repelle a me per virtutem Sanctæ † Crucis, omnem tentationem Sathanæ, & quod mea non exigunt merita, tuis precibus obtine apud altiſſimum Judicem, ut nihil loci habeat. Cumque per abrupta vitiorum me deviaſſe videris, per ſemitas juſtitiæ ad Salvatorem meum me reducere ſatagas. Et in quacunque tribulatione vel anguſtia me eſſe proſpexeris, auxilium DEI omnipotentis tuo obtentu & precamine mihi adeſſe ſentiam. Precor te mi Cuſtos, ſi fieri poteſt, notum mihi facias finem meum, diemque obitus mei: & cum de corpore eductus fuero, non permittas me a maligno Spiritu terreri, neque in foveam deſperationis deduci. Ne dimittas me Angelice Spiritus, donec ad viſionem ipſius Conditoris perducas me, ubi ſimul ego pro opere, tu pro cuſtodia, una cum Beatiſſima DEI Genitrice Maria, & omnibus Sanctis Domino adjuvante lætemur. Amen.

Commendatio ac Proteſtatio ad S. Angelum Cuſtodem ſæpe facienda.

O! Beatiſſime mi Angele Cuſtos, ego quamvis tua ſacra cuſtodia indigniſſimus, impulſus tamen eximia charitate tua, & zelo illo, quem habes erga ſalutem animæ meæ, eligo te hodie in præſentia totius curiæ cœleſtis, pro ſingulari Protectore, & Advocato meo, firmiſſimeque propono,

pono, tibi ad mortem uſque fideliter ſemper obedire. Obſecro te igitur per gloriam illam, qua in cœlo jam frueris, ut acceptes hoc propoſitum meum, & gratum habeas ſincerum hunc affectum erga te meum; adſis mihi in omnibus actionibus meis, gratiamque impetres a tuo, & meo Domino ita me gerendi in omnibus actionibus, verbis, & operibus meis, ut puriſſimos occulos tuos nunquam offendam, neque divinam Majeſtatem ad juſtam contra me iram accendam. Adſis mihi ſemper, nec deſeras me in hora mortis meæ. Amen.

Alia Oratio ad S. Angelum Cuſtodem.

Angele DEI ſacratiſſime, mihi a DEO in cuſtodiam deputate, gratias tibi ago pro omnibus beneficiis, quæ mihi in corpore & anima unquam exhibuiſti. Laudo & glorifico te, quod mihi miſerrimo tam fideliter adſtare, atque me contra omnes hoſtium inſultus tueri dignaris. Benedicta ſit illa hora, qua mihi in cuſtodiam datus, & in defenſorem, atque Patronum deputatus es. Benedicta ſit tua in me charitas, omnisque tua ſolicitudo, qua ſalutem meam promovere non ceſſas, in recompenſationem omnium obſequiorum mihi a Juventute exhibitorum, offero tibi nobiliſſimum Cor JEſu Chriſti: rogans mihi ignoſci, quod toties Sanctis tuis inſpirationibus renitendo te contriſtaverim: firmiter nunc propono tibi obedire, Deoque meo fideliter ſervire. Amen.

Pro-

Protestationes S. Caroli Boromæi ad Angelum Custodem.

I.

In Nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ego infelix & miser peccator N. protestor in præsentia tua, O! Angele DEI assignate mihi a divina sanctissima Majestate pro ductore, cum primum natus sum, desiderare me, & velle mori in ea sola vera, Catholicaque fide, quam S. Romana, & Apostolica tenet, & profitetur Ecclesia, & in qua omnes Sancti, quotquot fuerunt unquam uspiam mortui sunt: nec desidero diutius vivere, quam placeat DEO meo, cui omnem meam voluntatem integre, & ex toto corde subjicio.

II.

Protestor etiam O! Angele DEI, desiderare & velle me sub tua S. Custodia ac protectione discedere ex hac vita cum spe divinæ misericordiæ, sine ulla titubatione in fide, non obstante quacunque multitudine, & gravitate peccatorum meorum, certo sciens, ac firmissime credens, etiam unam solam guttam pretiosissimi Sanguinis Domini nostri JEsu Christi sufficientem futuram esse, non solum me salvandi, sed universum etiam genus humanum, quin & mille mundos, si ita placitum fuisset divinæ suæ Majestati.

III.

Similiter protestor O! Angele Sancte petere me ex intimo corde participem fieri misericordiæ

Re-

Redemptoris, & Domini mei JEſu Chriſti, remiſſionemque omnium peccatorum meorum conſequi, ſciens, quod ipſe eam nulli peccatori, quantumvis gravi, & abominabili neget rite contrito & confeſſo, idque per, & propter merita amariſſimæ ſuæ Paſſionis, & mortis, & virtutem pretioſiſſimi Sanguinis ſui, pro me indigniſſimo in ligno Crucis copioſe effuſi: per merita demum Sanctiſſimæ Matris ſuæ, Virginisque Mariæ, & omnium Sanctorum, & Angelorum.

IV.

Iterum proteſtor ſanctiſſime mi Cuſtos, ſupplicare me divinæ Majeſtati, ut dignetur me recipere, in numerum eorum, quos ab æterno prædeſtinavit in ſuam gloriam, etiamſi oporteret me pati ob peccata mea in purgatorio uſque ad noviſſimum diem Iudicii, dummodo tandem per ipſius infinitam miſericordiam conſequar vitam æternam.

V.

Proteſtor demum ſanctiſſime & vigilantiſſime Cuſtos, conſtituere me te Procuratorem teſtamenti, ultimæque voluntatis animæ meæ ad impetrandum mihi a Domino meo JEſu tres gratias. Prima eſt ut mihi donet ſolum unum lacrymoſum ſuſpirium ex infinitis illis, quæ habuit ipſe, dum per tres horas vivus fuit in Cruce, quorum efficacia & virtute mitigentur lacrymabiles illi ſingultus, cordisque preſſuræ & anguſtiæ, quibus in hora mortis affligar. Et ut glorioſiſſima Mater DEI Maria dignetur me, vel

unico

unico etiam aſpectu ex iis, quos ipſa ſub Cruce ſtans habuit defigendo in unicum Filium ſuum oculos Virgineos, ſuſcipiendo me in eorum numerum, qui ejus precibus & meritis in die Judicii obtinebunt ſalutem & vitam æternam.

Altera gratia eſt, ut tu fideliſſime Cuſtos meus, in illa potiſſimum hora, mihi ſuccurras, quando anima mea ſeparabitur a corpore meo, ut inveniam benignum Judicem merito flagrantiſſimæ illius charitatis, qua paternum ipſius pectus in Cruce fuit inflammatum pro ſalute peccatorum.

Ultima demum gratia eſt, ut tu idem piiſſime Cuſtos meus, animam meam tibi habeas commendatam, eamque de ergaſtulo corporis egreſſam dexteræ tuæ potentia Redemptori meo offeras, ut eum una tecum, & Sanctis omnibus in cœli gaudiis videam, perfecte amem, eoque æternaliter fruar, cui ſit laus, honor, & gloria, in omnem æternitatem. Amen.

Brevis Tabella bonorum operum, quibus Sanctos Angelos maxime honorare, ac demereri poſſumus.

I.

Si quotidie Orationem Dominicam, & Angelicam Salutationem novies devote pronunties, in honorem novem Chororum Angelicorum.

II. Si eundem numerum in aliis etiam piis exercitiis in honorem Sanctorum Angelorum obſerves.

III. Si Litanias, Officium, aliasque preces Sanctis Angelis inſcriptas quotidie aut frequenter recites.

IV. Si quotidie aliquod pium opus, aut aliquam tui victoriam Sanctis Angelis offeras.

V. Si

V. Si Castitati, Angelis commendatissimæ virtuti singulariter studeas.

VI. Si cultum eornm & venerationem apud alios promoveas.

VII. Si templa illis sacra frequentes, aliosque illorum festivos dies devote celebres, maxime 29 Septembris 8. Maji, 2. Octobris, & Festum S. Angel Custodis.

VIII. Si odium, invidiam, omnemque contra alios aversionem in gratiam SS. Angelorum ex animo ponas: Angeli enim pleni sunt amore, sicut Diaboli invidia.

IX. Si præsentiam illorum assidue, aut saltem sæpissime quovis die cogites, & in omnibus adversis ac periculis Angelos eorumque maxime Reginam in subsidium voces.

OFFICIUM
DE S. JOANNE NEPOMUCENO,
Pœnitentia & fama periclitantium PATRONO.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEus Sabaoth, pleni sunt cœli, & terra gloria tua.

AD MATUTINUM.

℣. Domine labia mea aperies

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. DEus in adjutorium meum intende

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

HYM-

HYMNUS.

Orbi Nepomucum dedit
Te Joannes suum credit,
Patronum Bohemia.
In qua tuæ Pietatis,
Admirandæ Sanctitatis
Coruscant insignia.

℣. Domine ne elongaveris auxilium tuum a me.

℟. Ad defensionem meam conspice.

Oremus.

DEus, cui soli debetur omnis honor & gloria; per gloriosa merita Sancti Martyris tui Joannis Nepomuceni te suppliciter exoro, ut omnem infamiam & confusionem publicam undecunque mihi imminentem misericorditer avertere digneris, & concede sic uti honore temporali, ut æternam confusionem evadere, & in cœlesti gloria merear collocari. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui ab æterna confusione, ignominiosa morte Crucis nos redemit, & nunc tecum vivit & regnat DEus in sæcula sæculorum. Amen.

AD PRIMAM.

℣. DEus in adjutorium &c.

HYMNUS.

DEI Mater impetravit,
Quod sis, mire procuravit
Natus thoro sterili

Flammæ cœli confirmarunt,
Prolem Sanctam te monſtrarunt
Signo non fallibili.
℣. Ad te Domine levavi animam meam
℟. DEus meus in te confido, non erubeſcam.
Oratio *ut ſupra*.

AD TERTIAM.

℣. DEus in adjutorium &c.

HYMNUS.

VIx Sacerdos ordinatus
Es ferventer mox zelatus
Solam DEI gloriam:
Divinum ſemen ſparſiſti.
Populos poſt te traxiſti
Per miram facundiam.
℣. Cuſtodi animam meam, & erue me.
℟. Non erubeſcam, quoniam ſperavi in te
Oratio *ut ſupra*.

AD SEXTAM.

℣. DEus in adjutorium &c.

HYMNUS.

TE Reginæ Confeſſorem
Virtus fecit, & Cenſorem
Mirandæ prudentiæ,
Ab hac Pater vocitatus
Unus ſuæ declaratus
Teſtis conſcientiæ.
℣. Suſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum.

℞. Et non confundas me ab expectatione mea.

Oratio *ut ſupra.*

AD NONAM.

℣. DEus in adjutorium &c.

HYMNUS.

Sævus piger Imperator
Malorum clarus Patrator
Minitatur pessima,
Ni, quæ dixit Sacramento
Tu reveles in momento
Uxoris peccamina.

℣. In te Domine ſperavi non confundar in æternum.

℞. In Juſtitia tua libera me.

Oratio *ut ſupra.*

AD VESPERAS.

℞. DEus in adjutorium &c.

HYMNUS.

Arcanum cuſtodiviſti,
Ob quod lætus ſubiviſti
Tormentorum genera:
Aquis tandem ſuffocatus,
Effectus quod ſis beatus,
Prodiderunt ſidera.

℣. Intende animæ meæ, & libera eam,

℞. Propter inimicos meos eripe me.

Oratio *ut ſupra.*

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos DEus ſalutaris noſter.

℞.

℟. Et averte iram tuam a nobis.
℣. DEus in adjutorium &c.

HYMNUS.

Tumulatus nunc quiefcis,
Et indies illucefcis
Præclaris miraculis
Es certus famæ Patronus,
Nos a malæ famæ pronus
Defendas periculis.

℣. Domine non confundar
℟. Quoniam invocavi te.

COMMENDATIO.

Sufcipe quas dedimus, Joannes Beate,
Tibi preces fupplices, nofter Advocate;
Fieri dum vivimus, ne finas infames;
Et noftros, poft obitum, cœlis infer manes.

ORATIO.

Sancte Joannes, Martyr, ac Patrone Nepomuci in Bohemia oriunde, Templi Sancti Viti in Arce Pragenfi Canonice, eo quod ad inftantiam Wenceslai IV. Regis (ulcifci fe de Conjuge, fæpe illum de vita corrigenda monere volentis) ante & poft torturam, Confeffionem Auguftæ propalare recufafti, in flumen Moldavam, ex Ponte præcipitatus, a luminibus noctu fupra flumen, ubi Corpus tuum jacuit, apparentibus, certiffimis tuæ innocentiæ, & fanctitatis teftibus, oftenfus, folenniter ab univerfo Clero, ac populo, ad Metropolitanum templum deportatus fuifti, ubi ufque hodie, qui tuum Sepulchrum de-

honorant, vulgi infamiam effugere non ſolent. Tu ergo admirandam, inauditam, ac ſempiternam memoriam ſecreti Exomologeſeos poſt te reliquiſti, per hæc tua merita, & dona divinitus tibi conceſſa, precamur ſuppliciter, ac fiducialiter, ut ira ejus conquieſcat, peccatorum pœnas, uti Peſtem, Bellum, Famem, aliaſque tam corporis, quam animæ plagas clementer avertat, & ut nos ante obitum confiteri, pro peccatis ſatisfacere, omne periculum, & ſæculi dedecus, hominum ſcandalum effugere, DEO placere, adhærere, vitam laudabiliter concludere, & ad vitam æternam pervenire poſſimus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

LITANIÆ AD S. JOANNEM NEPOMUCENUM.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis DEus. Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEus. Miſerere nobis.
Spiritus Sancte DEus. Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus DEus. Miſerere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix. Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum. Ora pro nobis.

Sancte Joannes Nepomucene Mariani cultus Promotor amabilis
Dilecti discipuli Joannis Imitator Virginee
Nove Joannes Silentiarie
Nostri temporis magne Thaumaturge
Arcanorum cœlestium conscie
A Spiritu Sancto Scientiis desuper instructe
Doctrinæ pariter, ac Sanctitatis laurea insignite
Præfulgens lumen Metropolitanæ Pragensis Ecclesiæ
Tribunalis clementissimi Assessor indefesse
Absconditorum humani cordis Secretarie
Honoris ac Famæ defensor egregie
In periculis confusionis ac ignominiæ Patrone mirifice
Veritatis Prædicator intrepide
Confessariorum Speculum nitidissimum.
Sacerdotum exemplar clarissimum
Prælatorum lumen fulgidissimum
Pœnitentium asylum tutissimum
In scrupulis ac animæ angustiis solamen suavissimum.
Christi patientis Cultor eximie
In Crucifixi vulneribus assidue
In subitis casibus Ductor ac Director fidelissime.
Clientum tuorum Patrone mirifice
Pro Ecclesiæ juribus bellator strenue.
Columbinæ simplicitatis, & agninæ mansuetudinis exemplum

Ora pro nobis.

Vitæ innocentia ac virginali Castitate præfulgens.
De vitæ statu deliberantium fax lucidissima
Probatissima afflictorum medicina
Salutis, animarum quam propriæ vitæ amantior
Vir cordis, ac oris sincerissimi
Qui Regis terreni minas contemnens cœlestis Regis gratiam meruisti
Pro custodito sigillo Confessionis in flumen præcipitate
A cœlo sub aquis latens Stellarum indicio manifestate
Confessor ac Martyr generosissime
Qui a morte peccati solvens animas, mortem corporis incurristi
Cujus amoris flammas aquæ multæ non potuerunt exstinguere
Cujus Sepulchri honor a DEO defenditur
Qui honorantes te, honoribus auges, contemnentes ignominia afficis
Aliorum bonæ de me existimationis Tutor, ac Conservator laudabilis
Auxiliator in necessitatibus promptissime
Sancte DEI mihi e millibus electe.
Omnium actionum mearum splendor mirifice

} Ora pro nobis.

Propitius esto. Parce nobis Domine
Ab omni malo. Libera nos Domine
Ab omni peccato. Libera nos Domine.

Ab omni ſcandalo
Ab omnis delicti ſuſpicione
Ab ignominia mundi
A confuſione æterna
A damnatione perpetua
A Sacrilega Confeſſione
A periculis corporis & animæ
Ab anguſtiis & perturbationibus conſcientiæ
A procraſtinatione pœnitentiæ
Ab omni mendacio & fallacia
A falſis fratribus, & ſubdolis amicis
A mala & perverſa ſocietate
Ab arrogante præſidentia & præſumptione
A dubia ſemper ſuſpitioſorum fide
A falſa accuſatorum delatione
A ſecretorum communicatorum propalatione
Ab officiorum periculoſorum adminiſtratione
Per turpiſſimam ad Crucis ſupplicium Condemnationem
Per infamem cum Latronibus mortem
Per toleratas in Cruce Phariſæorum deriſiones.
Per tuam inter maxima hominum flagitia patientiam.
Per interceſſionem & merita Sancti Joannis Nepomuceni.
In die Judicii

} Libera nos Domine.

Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas. Te rogamus audi nos.

Ut nobis indulgeas. Te rogamus audi nos.

Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris
Ut peccatorum noſtrorum facilem agnitionem & integram Confeſſionem nobis largiri digneris
Ut vilium officiorum, ac obſequiorum humilium deſiderium nobis inſpirare digneris
Ut peccatorum noſtrorum indulgentiam, & abſolutionem nobis impertiri digneris
Ut inimicos S. Eccleſiæ humiliare digneris
Ut Cultum ac Venerationem S. Joannis Nepomuceni propagare digneris
Ut omnibus Clientibus ejusdem facilem aurem præbeas
Fili DEI

} Te rogamus audi nos.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine

Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Miſerere nobis.

Chriſte audi nos.

Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.

Kyrie eleiſon.

Pater noſter &c.

℣. Adhæſi teſtimoniis tuis Domine

℟. Noli me confundere

℣. Suſcipe me ſecundum eloquium tuum, & vivam.

℟. Et non confundas me ab expectatione mea

℣. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis.

℟. Ut non confundar.

℣. Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur.

℟. Quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.

℣. In te Domine speravi.

℟. Non confundar in æternum

℣. Domine exaudi orationem meam

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Omnipotens, & misericors DEus, concede propitius, ut qui in merita Divi Joannis Nepomuceni confidimus, ejus potenti intercessione ex omni infamia, & confusione publica, tam temporali, quam æterna hujus, & alterius vitæ, vel ex imminenti N. N. per piissimam misericordiam tuam eruamur. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui nos redemit per infamen Crucis mortem, & qui tecum gloriosus vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti DEus, nunc & in æternum. Amen.

Alia Oratio.

Sancte Joannes Nepomucene suspirantis, & ex vera pœnitentia veniam sperantis animæ Custos integerrime & Director fidelissime, te hodie in specialem Patronum & Advocatum eligo, tuæ

 pietati,

pietati, & curæ committo, ut me miserum, & mala consuetudine gravium peccatorum, præsertim vitio N. sepultum, quia in anima vere mortuum, ad vitam gratiæ tua intercessione revocare, & Confessuro non solum compunctionem cordis & lacrymarum imbres, verum etiam ad confitendum audaciam impetrare digneris ab illo, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, quem quod toties, tantisque criminibus offenderim, ex amore erga illum doleo cum proposito firmissimo peccata mea plangendi, & plangenda nunquam amplius admittendi. Amen.

OFFICIUM.

S. P. BENEDICTI.

AD MATUTINUM.

℣. Domine labia mea aperies
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. DEus in adjutorium meum intende
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri &c.

HYMNUS.

Aurora surgit aurea,
Festa restaurans annua,
Cum Benedictus arduum
Cœli scandit palatium.
Cætus triumphet cœlitum,
Addatque terra jubilum,

Frua-

BENEDICTUS est ſuper terram, benedicetur in Deo. Iſ. 65.



Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus ſed Deo. Act. 5.

C. P. S. C. M. Klauber Cath. Sc. et exc. A. V.

Fruatur quod ætheris
Benedictus gaudiis.
Quanta in summis accipit,
Qui sic in imis claruit,
Cujus micant prodigia
Per ampla mundi climata.
O! Sacro-Sancta Trinitas
Tibi sit laus & gloria
Qua Benedictus fruitur
Per infinita sæcula. Amen.

Antiph. Fuit Vir vitæ venerabilis, gratia Benedictus & nomine, qui ab ipso pueritiæ tempore cor gerens senile: ætatem moribus transiens, nulli animum voluptati dedit.

℣. Ora pro nobis Beate Pater Benedicte
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

O! Beate Pater, gratia, & nomine a DEO Benedicte, qui Angelicum tuum Spiritum erectis ad cœlum manibus stans, & orans in manus tui Creatoris felicissime commendasti, atque omnes, qui gloriosæ mortis tuæ, & cœlestium gaudiorum quotidie te admonituri essent, in suprema mortis lucta, contra omnes inimicorum insidias strenue te defensurum promisisti: Custodi me, quæso, Pater hodie, & quotidie tua sancta benedictione, ut a benedicto nostro JEsu, atque tua, atque omnium benedictorum Societate nullo modo valeam separari. Per eundem Dominum &c.

AD PRIMAM.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Signifer invictissime,
Sacræque Dux militiæ
Nos benedicte valido
Precum defende brachio.
His armis execrabilem:
Leonis vince rabiem:
Quibus olim teterrimam
Pellis ab ore merulam.
O! Sacro-Sancta &c. *ut supra.*

Antiph. Tantam gratiam Beato Benedicto Virtus divina contulerunt, ut sub uno solis radio totum mundum collectum conspiceret.

℟. Ora pro nobis &c. *ut supra.*

AD TERTIAM.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Urticæ junctæ vepribus,
Vulnus curant vulneribus,
Flammata mens divinitus,
Ignem extinguit ignibus,
Crucem mittens, ut lapidem,
Veneni frangit calicem:
Non valet mortis vasculum
Vitæ ferre signaculum.
O! Sacro-Sancta &c. *ut supra.*

Antiph. Erat Vir Domini Benedictus vultu placido, canis decoratus Angelicis, tantaque cir-

Uterque illustret ut Orbem.

Hoc sub præsidio.

– Sic felix Gallia Mauro.

Ut Siculi Placido: –

Victima prima Deo.

Regula

Mittitur ad Gallos Maurus: Placidusq; Sicanos.
Sic et vera fides crescit: et Ordo simul.
Sudor utrinque ingens Subito capit incrementum.
Sudor non solus: Sudor et ardor erat.

Klauber Cath. Sc. et exc. A.V.

ca eum claritas excreverat, ut in terris positus in cœlestibus habitaret.

℣. Ora pro nobis &c. *ut supra.*

AD SEXTAM.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Frater, quem tunc nequissimus
Vagum raptabat Spiritus,
Dum tua virga cæditur,
Stabilitati redditur.
Tua carentum gratia
Tellus non vomit cadavera
O! Sacro-Sancta &c. *ut supra.*

Antiph. Gloriosus Confessor Domini Benedictus, vitam Angelicam gerens in terris, speculum bonorum operum factus est in mundo: & ideo sine fine gaudet in cœlis.

℣. Ora pro nobis &c. *ut supra.*

AD NONAM

℣. DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Totius Orbis ambitum
Per solis videt radium:
Mens in Auctore posita
Subjecta cernit omnia,
O! Virum vere cœlicum!
O! rerum DEI conscium!
Germani videt animam
Lætam ire ad cœlestia.
O! Sacro-Sancta &c. *ut supra.*

Antiph.

Antiph. Vir DEI Benedictus omnium Justorum Spiritu plenus fuit: Ipse intercedat pro cunctis Monasticæ Professionis.

℣. Ora pro nobis &c. *ut supra.*

AD VESPERAS.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Sanctæ Sororis Spiritum
Omni labe purissimum,
Instar Columbæ candidæ
Cœlum videt ascendere.

Beata demum corpora
Unum clausit Sarcophagum:
Mens quibus una fuerat,
Par cœlo servat gloria.

O! Sacro-Sancta &c. *ut supra.*

Antiph. Pater Sanctus, dum intentam oculorum aciem in splendore coruscæ lucis habere videretur: vidit Germani animam Capuani Episcopi, in Sphæra ignea in cœlum ab Angelis deferri,

℣. Ora pro nobis &c. *ut supra.*

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos DEus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. DEus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c.

HYMNUS.

Te summe Pater poscimus,
Pronæ mentis visceribus,

Mors Benedicta Patris.



Klauber Cath. Sc. et exc. A. V.

Ut Cœlum des aſcendere,
Quos doces terram ſpernere,
Quæ ſurſum ſunt da quærere,
Et terrena contemnere,
Chriſti foveri gratia,
Demumque frui gloria.

O! Sacro-Sancta &c. *ut ſupra.*

Antiph. Exultet omnium turba fidelium, pro gloria Almi Patris Benedicti: lætentur præcipue catervæ Monachorum, ejus memoriam celebrantes in terris, de cujus Societate Sancti congaudent in cœlis.

℣. Ora pro nobis &c. *ut ſupra.*

AD B. P. BENEDICTUM COMMENDATIO.

O! Alme Pater Benedicte: Monarchorum Dux, & Monarcha: ſpes, & ſolatium omnium ad te toto corde clamantium: Tuæ Sanctiſſimæ Protectioni humiliter me commendo: ut propter excellentiam meritorum tuorum, ab omnibus, quæ contraria ſunt animæ meæ, defendere me digneris, atque de pietate tua abundantiam compunctionis, & lacrymarum gratiam mihi impetres, ut digne, copioſeque valeam tanta mala, & offenſas plangere, quibus a juventute mea amabilem, & deſiderabilem Dominum JEſum Chriſtum provocavi frequentius: teque digne laudare, & venerari merear. O! oliva! O! vitis nimium in domo DEI fructifera! O! vas

auri ſolidum omni ornatum lapide precioſo, ſecundum cor DEI electum, & dulciſſimum, innumerisque gratiarum chariſmatibus, tanquam gemmis coruſcantibus decoratum. Te oro, te rogo, tibi toto cordis affectu ab omnibus animæ deſideriis benigniſſime Pater, dulciſque Magiſter ſupplico: ut mei miſeri peccatoris memor eſſe digneris apud DEum, ut peccatis meis omnibus benignus indulgeat, meque in bono conſervet, nec ab eo unquam diſcedere aliqua neceſſitate permittat: ſed ad Beatorum conſortium, viſionemque ejus delectabilem poſt te Pater admittat, ubi tecum, cætuque cum illo Monachorum maximo ſub tuo vexillo poſito gaudere perpetuo poſſim: ipſo DEO, ac Domino noſtro JEſu Chriſto præſtante. Qui cum Patre & Spiritu Sancto, vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

OFFICIUM
DE SANCTO P. BERNARDO
DOCTORE MELLIFLUO.

AD MATUTINUM.

℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. DEus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri &c.

HYM-

S. BERNARDUS DOCTOR MELLIFLUUS.



Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris
habet fructus illius. Eccli. 11.

?S.C.M. Ios. et Ioa. Klauber Cath. Sc. et exc. A

HYMNUS.

Jam Regina discubuit,
Sedens post Unigenitum:
Nardus odorem tribuit
Bernardus tradens Spiritum
Dulcis Reginæ gustui
Fructus sui suavitas
Dulcis ejus olfactui
Nardi Bernardi Sanctitas.
Summæ DEus Potentiæ
Tibi sit laus, & gloria,
Da post cursum miseriæ
Beata nobis gaudia. Amen.

Antiph. O! Oliva fructifera in Domo DEI! O! Oleum lætitiæ fovens beneficiis, coruscans miraculis: fac nos ejus, qua frueris lucis, suavitatisque participes.

℣. Ora pro nobis beate Bernarde.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Perfice quæsumus, Domine pium in nobis Religionis affectum, & ad obtinendam tuæ gratiæ largitatem beatus Bernardus Abbas, & Doctor egregius, suis apud te semper pro nobis meritis & precibus intercedat. Per Dominum nostrum &c.

℣. Benedicamus Domino
℟. DEO gratias.

℣. Et Fidelium animæ per misericordiam DEI requiescant in pace.

℟. Amen.

AD PRIMAM.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Cum esset in accubitu
Fructus saporem intulit:
Cum esset in occubitu,
Nardus odorem obtulit
Venit Sponsa de libano
Coronanda divinitus
Ut Bernardus de clibano
Veniret Sancti Spiritus.

Summæ DEus Potentiæ &c. *ut supra.*

Antiph. O! Oliva &c. *ut supra.*

AD TERTIAM.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Quæ est ista progrediens
Velut aurora rutilans?
Quis est iste transiliens
Colles, Sanctis conjubilans?
Hæc gloria terribilis,
Sicut castrorum acies:
Hic gratia mirabilis,
Ut Assueri facies.

Summæ DEus &c. *ut supra.*

Antiph. O! Oliva &c. *ut supra.*

AD SEXTAM.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Exultet cœlum laudibus
De Bernardi Conſortio:
Quem conjungis cæleſtibus
JEſu noſtra Redemptio.
Rufum dorſo per catulum
Præfiguraſti Puerum
Fore Doctorem ſedulum,
Conditor Alme ſiderum.
Summæ DEus &c. *ut ſupra.*

Antiph. O! Oliva &c. *ut ſupra.*

AD NONAM

℣. DEus in adjutorium &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Naſcentis ei claruit
Clara Chriſti Nativitas
Hoc a te donum habuit,
O! lux beata Trinitas
Arcana ſacra paginæ
Declarat, & myſterium,
Quod effecit in Virgine
DEus Creator omnium.
Summæ DEus &c. *ut ſupra.*

Antiph. O! Oliva &c. *ut ſupra.*

AD VESPERAS.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Rore perfusum gratiæ
 Monstrat dulcor eloquii,
Per te fons Sapientiæ
Summi largitor præmii,
 Detentos a Dæmonibus
Sanat, morbos languentium
Curat, confert dolentibus
Magnum salutis gaudium.
 Summæ DEus &c. *ut supra.*
Antiph. O! Oliva &c. *ut supra.*

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos DEus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam a nobis.
℣. DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Vltra vivit feliciter
 Cum Maria Christifera
Cum qua degustat dulciter
Æterna Christi munera
 Ora pro nobis Dominum
Prædulcis fumi virgula
Inclina Patrem luminum
Pastor ardens ut facula.
 Summæ DEus &c. *ut supra.*
Antiph. O! Oliva &c. *ut supra.*

Ad Beatissimum P. Bernardum
COMMENDATIO.

O! Gloriose, ac DEO acceptissime Pater ac Protector mi Sancte Bernarde, cujus Vir-

ginea labia & lacte Virgineo Sanctissimæ Virginis Mariæ, & sanguine pretioso Domini nostri JEsu Christi humectari meruerunt: Rogo te per omnes illas gratias, quas in ipsa pueritia, ad mortem usque ab Incarnato JEsu, & Beatissima Matre ejus suscipere meruisti, ut me etiam in Clientem & Filium sempiternum suscipias, meique (licet Patrocinio tuo indignissimus sim) tam in vita, quam in morte curam geras, & animam meam cum corpore, & omnibus viribus Domino ac Salvatori nostro JEsu Christo recommendes, quatenus sive vigilans, sive dormiens, sub sancto tuo Patrocinio merear respirare, ac tandem te Ductore ad visionem DEI mei pervenire valeam, ipso donante, qui te in Servum sibi elegit, Domino nostro JEsu Christo, cui cum Patre & Spiritu Sancto æqualis honor, & una gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

LITANIÆ

De Sanctissimo Patre Bernardo

Primo Abbate Claravallensi.

Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis DEus. Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi DEus. Miserere nobis.
Spiritus Sancte DEus. Miserere nobis.

Sancta Maria. Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix. Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum. Ora pro nobis.

Sancte Bernarde electe ab utero
Fili Sanctorum gloriosissime
Lactis Virginei rore perfuse
Sanctissimæ Virginis Paranymphe
Crucifixi amplexibus honorate
Passionis Christi Cultor eximie
Supernis apparitionibus illustris
Divinis revelationibus illuminate
Vitæ innocentia Angele
Ordinis Propagatione Patriarcha
Futurorum prænotione Propheta
Verbi Divini prædicatione amplissime
Corporis mortificatione Martyr
Fidei zelo Confessor
Mentis & Corporis Puritate Virgo
Apostolicæ Sedis intrepide defensor
Ecclesiasticæ libertatis propugnator invictissime
In consiliis Arbiter
Ecclesiæ lingua & oraculum
Præsulum Magister inclyte
Schismatum Pacificator
Hæresum Eversor
Sacræ militiæ Præco
Inter diffidentes pacis mediator
Sanctorum inter Thaumaturgos maxime
Pauperum Nutritie & Consolator
Infirmorum valetudo

} Ora pro nobis.

Regum

Regum noſtrorum coronæ columen. Ora pro nobis.

Burgundiæ Protector auguſtiſſime. Ora pro nobis.

Fontanenſis Eccleſiæ decus & lumen. Ora pro nobis.

Totius Orbis miraculum. Ora pro nobis.

Sancte Bernarde apud JEſum ejusque Matrem Interceſſor efficaciſſime. Ora pro nobis.

Ut veram pœnitentiam nobis impertiri digneris.

Ut congregationes tibi peculiari obſequio devotas conſervare & augere digneris.

Ut Sanctæ Eccleſiæ populo Chriſtiano pacem & incolumitatem impetrare digneris.

Ut ſummo Pontifici noſtro N. & Antiſtiti N. cæteriſque Prælatis Spiritum divinæ gratiæ impertiri digneris.

Ut ſinceram devotionem in Deiparam nobis impetrare digneris.

Ut virtutes, quibus divinis aſpectibus frui mereamur nobis impetrare digneris.

Ut in articulo mortis nobis veniam impetrare digneris.

Ut Hæreticos & impiorum Converſionem ad ſalutem impetrare digneris.

Ut nos exaudire digneris.

} Te rogamus audi nos.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Miſerere nobis.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter &c.

Oratio ad S. Patrem Bernardum.

O! Alme Pater Bernarde, & ardentiſſime amator, cultor ſuavitatis & mellifluæ dulcedinis DEI, qui es ſpes, & ſolatium omnium ad te clamantium: toto corde me tuæ ſanctæ Protectioni commendo propter excellentiam meritorum tuorum: ut ab omnibus, quæ contraria ſunt animæ meæ tueri me digneris, & impetres mihi de abundantia pietatis tuæ gratiam compunctionis lacrymarum, ut digne & copioſe plangere valeam tanta mala & offenſas, quibus a juventute mea frequentius provocavi amabilem & deſiderabilem Dominum meum JEſum Chriſtum. Qui tanta charitate dilexit te, ut brachiis ſuæ Paſſionis & pretioſæ mortis te amplecti dignatus ſit. Ab ipſo mihi impetrare digneris gratiam, ut te digne laudare, & venerari merear meditando, amando, ſectando, internaque dulcedine gaudia æternæ vitæ adipiſci valeam. Tu oliva fructifera in domo DEI, vitis fructifera in vinea Domini, vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo ſanctarum virtutum, vas, inquam, cœleſtis doctrinæ, ſecundum cor DEI electum, & dulciſſimum, fide & ſanctitate ſplendidum, ac variis chariſmatibus gratiarum, tanquam gemmis coruſcantibus,

deco-

decoratum, unde fluenta Spiritus Sancti & divinæ bonitatis propinasti toti Ecclesiæ. Ergo amantissime Pater, & optime intercessor, qui in gaudium Domini tui feliciter introisti, rogo, supplico, peto toto cordis affectu, & ex omnibus desideriis animæ meæ, ut benignissime Pater, & Magister dulcissime digneris memor esse mei peccatoris, ad Dominum nostrum JEsum Christum, de quo dulcissima eloquia eructasti in terris, ut parcat peccatis meis omnibus, & conservet me in statu bono, nec ab eo unquam aliqua necessitate vel causa separari permittat, meque ad consortium Beatorum Angelorum, & ad delectabilem visionem DEI diu desideratam cum omnibus Sanctis post te admittat, & fac me sine fine tuis festivis gaudiis interesse. Quod nobis omnibus præstare dignetur Dominus noster JEsus Christus, qui regnat cum DEO Patre in unitate Spiritus Sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CANTICUM
De Sanctissimo Patre Bernardo.

Te Sanctum laudamus.
Te Doctorem confitemur.
Te pium Patrem omnis Ordo veneratnr.
Tuam insignem pietatem laudant omnes Angeli.
Tuam præclaram charitatem suscipiunt cœli & universæ Potestates.
Te denique Cherubim & Seraphim extollunt dicentes: Tu pœnitentiæ via.
Tu peccatorum venia.

Tu Monachorum lumen & lucerna.

Plena eſt omnis terra miraculorum tuorum gloria.

Univerſi cœli exultant in ſplendore coruſcantis gloriæ tuæ.

Te glorioſus ſuæ paupertatis perfectum imitatorem agnoſcit Apoſtolorum Chorus.

Te Prophetarum ſuæ fidei Sectatorem prædicat laudabilis numerus.

Te Martyrum Candidatus ſocium Paſſionum ſuarum laudat exercitus.

Te præcipue omnium Monachorum ac Sanctiſſimorum Confeſſorum extollunt ſacri Conventus.

Te per orbem terrarum ſuum defenſorem a devaſtante Petro leone confitetur Eccleſia.

Patrem altiſſimæ contemplationis.

Chriſti fratrem per adoptionem Sanctæ Virginis Mariæ in Filium ſpecialem.

Organum Sancti Spiritus, per quod diffuſa ſunt Sanctæ Eccleſiæ documenta contemplationis.

Tu gloria militantis ac triumphantis Eccleſiæ Sanctiſſime Pater Bernarde.

Tu Mariæ Virginis es Filius chariſſimus.

Tu ad reducendum devium hominem ad viam ſalutis, non dubitaſti ſubire laborem inſignis certaminis.

Tu calcato Dæmone ſuperbo paraſti viam credentibus ad regna cœlorum.

Tu inter Chriſtiferæ Virginis chariſſimos ſedes in gloria Patris.

Tu

Tu cum Christo crederis in extrema die Patronus & Advocatus venturus.

Te ergo quæusmus, clientibus tuis subveni, quos Christo tantis laboribus associasti.

Æterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari.

Salvum fac gregem tuum Pastor vigilantissime, & benedic hæreditati tuæ.

Et rege nos o! vitis fructifera, & extolle nos palmites tuos ad cœlorum regna.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum piis mentibus dulcissimum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Miserere piissime Pater Filiorum tuorum peregrinantium, miserere nostri.

Fiat benedictio tua super nos Filios tuos orphanos, quemadmodum speravimus in te.

Tuis precibus nos adjuvari credimus, non confundamur in æternum. Amen.

Epitaphium Sanctissimi Patris mellifluì Bernardi de nomine ejus Bernardus.

Ardens BERNARDUS, aut arduus, aut bona nardus.
Jure vocatur ob id, propter quod nunc celebratur,
Ardens fervore, vita sublimis, odore
Nardus, quæ veræ virtutis signa fuere.
Iste fuit, per quem patuit doctrina sophiæ
Præco DEI, Doctor fidei, Citharista Mariæ.

S. Bernardus natus est anno Domini 1091. Urbani II. Pontificis max. anno 4. Henrici IV. Imperatoris anno 35. & Philippi Regis Galliæ anno 31. In Castro Fontanis, Parenti proprio, prope Divionem in Burgundia, Patre Tecelino, sive Thesselino, Castillonæo, Matre Aletha Montis Parrensis: quæ DEO mares sex, inter quos Bernardus in ordine tertius erat, & fœminam unam genuit: mares omnes Monachos futuros, fœminam Sanctimonialem. Anno Domini 1113. a constitutione Cistercii anno 15. ætatis 22. cum triginta & amplius Sociis sub Abbate Stephano Cistercium venit. Postea Claravallem a S. Stephano missus anno 1115. ibique primus Abbas creatus est. Sacrum Ordinem Cisterciensem mire propagavit. Fundavit Monasteria 80. ex quibus 160 sunt procreata. Mortuos suscitavit tres. Surdos & mutos Centum octuaginta. Claudos Centum viginti sex. Cæcos Ducentos viginti unum. Mancos Mille octingentos quadraginta unum. Contractos Centum viginti quinque. Amentes Undecim, variis morbis affectos ultra Mille sanavit. Omnes in Ordine Cisterciensi obedientes, humilesque in finali gratia morituros divina revelatione doctus est. Vulneribus Christi pastus, Uberibus B. V. Mariæ lactatus, ab eaque Spiræ coram universis, qui aberant, salutatus est. Obiit anno 1153. ætatis suæ anno 63. Augusti 20. Reliquit in Claravalle fratres Domino servientes Septingentos Septuaginta.

O! Pater Alborum, Dux & Rector Monachorum,
Consors Sanctorum, duc nos ad Regna Polorum.

OF-

OFFICIUM DE SANCTA BARBARA VIRGINE ET MARTYRE.

AD MATUTINUM.

℣. Domine labia mea aperies
℞. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. DEus in adjutorium meum intende
℞. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri &c.

HYMNUS.

Cœperat ſolis jubar albicare,
Cœperat terris radiare lumen,
Diva cum plenum tenebris inivit
Barbara clauſtrum.

Sed Sator lucis DEus & diei
Plenus affluxit rutilante luce,
Plenus affluxit miſerationum
Fluminis inſtar.

Cincta nec tantum fuit illa luce,
Sed voluptates etiam beatas,
Inter, & circum penetrale cordis
Barbara ſenſit

Sint tibi grates, Pater atque laudes,
Nulla te, Fili taceat vetuſtas,
Spiritus Sancti penetret per omnes
Gloria terras. Amen.

Antiph. O! quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate, immortalis eſt enim gloria illius, quoniam apud DEum nota eſt, & apud homiues.

℣. Ora

℣. Ora pro nobis ſine mora Sancta Virgo Barbara.

℞. Ut ſimus digni ex hac hora ſemper Chriſti gratia.

Oremus.

OStende nobis quæſumus Domine, tuæ pietatis miſericordiam, quam in Sancta Virgine & Martyre tua Barbara pie & miſericorditer oſtendiſti, ut ipſius precibus & meritis a ſubitanea & improviſa mala morte liberemur, & ante diem & horam exitus noſtri ſui ſacratiſſimi Corporis & Sanguinis, ſacræque Unctionis Sacramentis ſalubriter muniamur, eaque intercedente ab omni hoſtium incurſu protegamur, & ad te pia devotione & lætitia perducamur. Qui vivis & regnas &c.

AD PRIMAM.

℣. DEus in adjutorium &c.

HYMNUS.

Plenus irarum Pater, & Deorum,
Filiam ſævum rapit ad tribunal,
Urget, ut ſupplex veneretur aras
Filia thure

Barbaris quanquam cruciata pœnis,
Non tamen juſſis gerit, obſequelam:
Stat ſuis verbis, fideique leges
Barbara ſervat.

Sint tibi grates, Pater &c. *ut ſupra.*

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD

AD TERTIAM.

℣. DEus in adjutorium &c.

HYMNUS.

Sacra cùm Virgo venit ad tribunal,
Impius Judex tonat inter enſes,
Audet in veræ fidei Parentem
Fundere probra.
Ni Jovem Virgo precibus fatiget,
Impius Judex gladium minatur:
Virgo ſed flocci facit imperatum
Judicis enſem
Sint tibi grates, Pater &c. *ut ſupra.*

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD SEXTAM.

℟. DEus in adjutorium &c.

HYMNUS.

Virgo divorum ſacra cum tuetur,
Nuda crudeli laceratur ictu,
Manat e membris, cruor, & cruore
Terra madeſcit.
Acriter quamvis laniata Virgo,
Non tamen mentem laniata mutat;
Carcerem viſit DEus, & medelis
Vulnera curat.
Sint tibi grates &c. *ut ſupra.*

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD NONAM.

℣. DEus in adjutorium &c.

HYM-

HYMNUS.

Sit licet Virgo ſatiata pœnis,
Non tamen pœnis ſaturata mens eſt
Judicis: ferrum jubet expediri
Judicis ira.
Virginis, ferrum venit, in mamillas,
Virginis, flammæ veniunt in artus,
Virginis pugno quatiuntur ora
Numinis ergo.
Sint tibi grates &c. *ut ſupra.*

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD VESPERAS.

℣. DEus in adjutorium &c.

HYMNUS.

Ave Martyr glorioſa,
Barbaraque generoſa,
Paradiſi vernans roſa
Caſtitatis lilium.
Ave Virgo pulchra tota,
Charitatis fonte lota,
Dulcis, mitis, & devota
Vas virtutum omnium.
Ave criminis ignara,
Sponſum audis voce clara:
Veni pulchra, veni chara,
Veni coronaberis.
Ave Barbara ſerena
Pulchra quaſi luna plena,
Singulari cantilena
Sponſum agnum ſequeris.

Ave

Ave Barbara beata,
Quæ cum Sponſo præparata
Nuptiarum adoptata
Introiſti gaudia.
Ave fulgens margarita
In corona JEſu ſita:
Tam in morte quam in vita
Sis nobis propitia. Amen.

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos DEus ſalutaris noſter.
℟. Et averte iram tuam a nobis
℣. DEus in adjutorium &c.

HYMNUS.

Virgo, crudelis Patris iЄta ferro
Virgo mortali ſpoliata vita
Auget aſtrorum ſacra teЄta donis,
Auget & orbem.
Membra nam ſervat tumulata mundus,
Spiritus vero nitet inter aſtra,
Et ſerenate ſine fine cernit
Numinis ora.
Sint tibi grates, Pater, atque laudes,
Nulla te, Fili taceat vetuſtas,
Spiritus SanЄti penetret per omnes
Gloria terras. Amen.

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

Hymnus de Sancta Virgine & Martyre Barbara.

Sancta Parens Ecclesia, da metra laudum Barbaræ,
Quæ ceditur pro Nomine, & mancipatur carceri.
Jubetur Aris Barbaris inferre thura Barbara;
Occludit aures hostibus magnas opes spondentibus.
Occludit aures hostibus acri manu tonantibus:
Sed Virgo fractis hostibus contendit ad cœlestia.
Dignata cœlo Barbara Patrona nostra maxima.
Precantibus Clientibus aures benignas porrige.
Laus, honor, virtus, gloria, DEO Patri, & Filio,
Sancto simul Paraclito in sæculorum sæcula.
Amen.

Intercessio quæsumus Domine, Beatæ Barbaræ Virginis & Martyris tuæ semper nos adjuvet, ut non subito moriamur, sed ante diem mortis nostræ sanctissimi Corporis, & Sanguinis Domini nostri, sacræque Unctionis Olei Sacramentis salubriter muniamur, & ab omni malo protegamur, & ad cœlestia Regna perducamur.

Omnipotens sempiterne DEus, tuam piam imploramus Clementiam, ut intercedentibus Beatæ Barbaræ Virginis ac Martyris tuæ meritis, a peccatorum pondere, & hostium insidiis absoluti, mente, & corpore alacres, & immaculati, tibi jugiter adhærere valeamus. Per Dominum &c.

Alia Oratio ad S. Barbaram.

Supplico tibi sanctissima Virgo & Martyr Christi Barbara, ut subvenias mihi famulo tuo in omnibus necessitatibus, & angustiis meis; ad te enim suspiro, & ad te oculos meos, & cor meum dirigo, te mihi in Advocatam eligo, tuæ protectioni animam & corpus meum committo. Tu Clementissima Virgo, esto mihi indigno famulo tuo in tribulatione auxilium, in persecutione solatium, in omni perturbatione refugium. Circumda me tuæ defensionis muro inexpugnabili, contra omnes inimicos meos visibiles & invisibiles, & contra omnia pericula corporis, & animæ, esto mihi Auxiliatrix specialissima, apud misericordem DEum, ut non secundum merita mea sinat me puniri, sed per tuum interventum merear tecum in cœlestibus gaudere. Amen.

Henricus Koch ad ossa usque, consumptus superstes tamen usque dum confiteretur, & SS. Eucharistiam susciperet, hanc gratiam a S. Barbara sequenti precatione impetravit: ut videre est apud Surium die 4. Decembris.

O! Sanctissima Virgo Barbara, quodcunque Sponsi tui viribus potes, mihi in Articulo mortis, obsecro, ut suppedites: adjuva me miserum, ne in peccatis moriar. Effectum tunc habeat tua intercessione primitus a Christo tibi facta promissio, cum fidem ejus tuo Sanguine consecrares. Redeat in memoriam Sponso tuo Virgineus collo tuo exuberans Sanguis: recor-

detur ardentissimæ tuæ charitatis, nec animam a corpore meo exire permittat, nisi confessione expiatam, & sacrosancto Eucharistiæ Sacramento refectam. Amen.

Serus ubi extremam mihi finiet Hesperus horam.

Tu mihi sis præsto, Barbara Sancta, precor.

OFFICIUM.

DE S. MARIA MAGDALENA.

AD MATUTINUM.

℣. Domine labia mea aperies

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. DEus in adjutorium meum intende

℟. Domine ad adjuvandum me festina

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

HYMNUS.

Maria castis osculis
Lambit DEI vestigia;
Flectu rigat, tergit comis,
Detersa nardo perlinit.

DEO Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc, & in perpetuum. Amen.

Oremus.

Oremus.

Beatæ Mariæ Magdalenæ, quæſumus Domine, ſuffragiis adjuvemur, cujus precibus exoratus quatriduanum fratrem Lazarum vivum ab inferis reſuſcitaſti. Qui vivis, & regnas &c.

AD LAUDES.

℣. DEus in adjutorium meum &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Summi Parentis unice
Vultu pio nos reſpice,
Vocans ad arcem gloriæ
Cor Magdalenæ pœnitens.
Amiſſa drachma regia
Recondita eſt ærario,
Et gemma deterſa luto
Nitore vincit ſidera.
JEſu medela vulnerum,
Spes vera pœnitentium,
Per Magdalenæ lacrymas,
Peccata noſtra diluas.
DEI Parens piiſſima,
Evæ nepotes flebiles
De mille vitæ fluctibus
Salutis in portum vehas
Uni DEO ſit gloria,
Pro multiformi gratia,
Peccantium qui crimina
Remittit, & dat prœmia. Amen.

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD PRIMAM.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Gaude pia Magdalena
Charitate Chriſti plena
Lapſorum fiducia.
Gaude dulcis Advocata,
Pœnitenti forma data,
Miſeris propitia.

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD TERTIAM.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Gaude felix, DEO grata,
Cui dimiſſa ſunt peccata
Speciali gratia.
Gaude Lotrix pedum Chriſti,
A quo tanta meruiſti
Amoris inſignia.

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD SEXTAM.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Gaude primo digna frui
Viſu Redemptoris tui
Surgentis in gloria
Gaude, quæ ſeptenis horis
Es ab antro vecta foris
Ad cœli faſtigia.

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD NONAM.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Gaude, quæ nunc ſublimaris,
Et cum Chriſto gloriaris
In cœleſti Curia
Fac nos hic nunc pœnitere,
Ut poſt mortem lucis veræ
Sortiamur gaudia. Amen.

Antiph. Verſus & Oratio *ut ſupra.*

AD VESPERAS.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Pater ſuperni luminis,
Cum Magdalenam reſpicis,
Flammas amoris excitas,
Geluque ſolvis pectoris
Amore currit ſaucia
Pedes beatos ungere,
Lavare fletu, tergere
Comis, & ore lambere,
Adſtare non timet Cruci,
Sepulchro inhæret anxia,
Truces nec horret milites,
Pellit timorem charitas
O! vera Chriſte charitas
Tu noſtra purga crimina,
Tu corda reple gratia,
Tu redde cœli præmia,

Patri, simulque Filio,
Tibique Sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Sæculum per omne gloria. Amen.

Antiph. Versus & Oratio *ut supra.*

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos DEus salutaris noster
℟. Et averte iram tuam a nobis.
℣. DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Nardi Maria mystici
Sumpsit libram, mox optimi
Unxit beatum Domini
Corpus, rigando lacrymis.
Honor, Decus, Imperium,
Sit Trinitati unicæ,
Patri nato, Paraclito,
Per infinita sæcula. Amen.

Antiph. Versus & Oratio *ut supra.*
℣. Dimissa sunt ei peccata multa.
℟. Quoniam dilexit multum.

Oremus.

DEus, qui Beatæ Mariæ Magdalenæ pœnitentiam ita acceptam, gratamque habuisti, ut non solum peccata ei dimitteres, verum etiam cor ejus tanta cordis dulcedine perlustrares, ut pedes tuos lacrymis suis irrigaret: da nobis quæsumus, ita digne flere mala, quæ commisimus, ut & sanctam indulgentiam consequi valeamus,

&

& in omnibus petitionibus propitiationis tuæ Clementiam ſentiamus. Qui vivis &c.

O! Mulier Sancta, plena fide, & charitate, ora pro me miſero peccatore. Scis Sancta Maria Magdalena infirmitates peccantium, experta quoque es pietatem, & dulcedinem amantiſſimi, atque miſericordiſſimi JEſu, ſed tamen ſeveri Judicis venturi. Præveni eum, O! Sancta Maria Magdalena, & pro me loquere bona. Admone eum pietatis, dilectionis, beneficiorumque omnium, quæ tibi, univerſoque mundo exhibuit. Impetra mihi plenam omnium peccatorum meorum remiſſionem, ut in die, horaque, qua ex hac vita egrediar, purgatus, atque plene reconciliatus inveniar, & moriens abſque impedimento ad DEum Patrem meum miſericordiſſimum in ipſius gloriam, ejuſdem meritis miſericorditer me introducentibus admittar. O! Sanctiſſima Maria Magdalena, tu morienti JEſu ad Crucem adſtitiſti, adeſto mihi in hora mortis, & quidquid potes, mihi præſta: potes autem maxima, quia digna es, ut tibi nihil neget Rex gloriæ, qui tantopere te diligit. Qui vivit, & regnat &c.

Alia ad eandem.

O! Benedicta Magdalena, auxilium mihi præſta ad peccatorum meorum expiationem. Magiſtrum tuum & Dominum mihi reconcilia, qui ob commiſſa peccata tot debitis ſum obſtrictus: memor eſto dulcedinis, & conſolationis, quam percepiſti, quando larga lacrymarum effu-

ſione pedes dulciſſimi tui magiſtri laviſti, qui te viciſſim ſuaviſſimi amoris brachiis eſt amplexatus, & ineffabili modo eſt conſolatus, dum te hæc verba audire fecit: remittuntur tibi peccata tua. In memoriam ergo beneficii, totque aliorum, quæ jam inde a dulciſſimo Magiſtro accepiſti, quem medullitus dilexiſti, impetra mihi, O! Sanctiſſima Magdalena veræ contritionis, & perfectæ converſionis, incenſique amoris gratiam, qualis in te fuit, ut ſanctiſſimis Chriſti pedibus tecum advolutus, tecum etiam peccatorum veniam obtineam, & exemplum ſanctiſſimarum virtutum tuarum deinceps imitatus, vitæ hujus mortalis vinculis ſolutus, in gaudium Domini mei merear introire. Per eundem Dominum &c.

Gemina Devotio ad duos glorioſos Santos S. Judam Apoſtolum, & Diſmam pænitentem Latronem.

Tanto impenſius venerandos, quanto aut magis ignoti ſunt, aut ob Nominum cum Juda Chriſti proditore, & Latrone malo, affinitatem, minus a vulgo coluntur.

Quod ipſum S. Judas piæ cuidam perſonæ ſpectabili, non ſine quærulo animi ſenſu teſtatus fuit, nimirum paucos ſe ex omni hominum ſorte Cultores numerare, cum tamen DEus plurimas iis, ſi qui forent, invocaturi gratias præparaverit. Experti ſunt id plurimi, max me qui in rebus deſperatis, ac pravis cogitationibus repellendis, ejus opem implorarunt; Et quid non a DEO magnus iſte Sanctus impetrare valeat? qui non ſolum Parentem utrumque, Fratres ternos, & binas Sorores, cum totidem nepotibus, a Sanctitate conſpicuis eſt ſortitus,

titus, sed arcta cum Christo ipso cognatione conjunctus, & cum eodem educatus fuit. Hic Coapostolus omnibus Prior Evangelium prædicavit: Judæam, Gallileam, Samariam, Persidem, Idumæam, Arabiam, Syriam, Mesopotamiam eo fructu peragravit, ut in Syria cum Rege (quem per aquam Baptismi a lepra mundavit) plurimos converterit, in Babilone Regem cum 60. hominum millibus baptizaverit: ubique prodigiis clarus, dum sola præsentia, Idolis indixit silentium, interceptam videndi, loquendique facultatem signo Crucis restituit, serpentes innoxia manu tractavit, mortuos ad vitam revocavit: verbo, Divo huic omnes creaturæ in miracula obtemperavere, quæ omnia morte gloriosa, fustibus interemptus, coronavit. Qui tanta fecit in vita, majora præstabit in gloria, modo tu ejus Patrocinium constanti cultu demerearis.

Nec minus in S. Dismа mirabilis fuit DEus, quem post scelera ad eum Sanctitatis gradum sublimavit, ut e latrone & Confessor, & defensor Christi, & Martyr juxta S. Augustinum, Propheta juxta S. Chrysostomum, Evangelista juxta S. Athanasium, & juxta S. Ambrosium Primitiæ Crucis Christi effectus, primus Paradisi Januas ingredi promeruerit. Cui id specialiter a DEO concessum videtur, ut feriæ pœnitentiæ, & gratiæ finalis impetrandæ Patronum agat. Quantum proinde tibi bona mors est in votis, tantundem sit devotio erga magnum hunc Sanctum commendata. Complures, pro felici morte per eum obtinenda Anniversarium ejus Commemorationis diem 25. Martii ferventius recolunt, alii eum singulis sextis Feriis, qua hic conversus feliciter obiit venerantur. Quare Sanctum, ut ames, venereris, & longum æternitatis iter ingressurus, viæ comitem eligas, hortor: Hic te ducet optime, qui primum ad cœlum viam invenit; Hunc si sequeris, recta ad Paradisum pervenies, quod tibi, mihique unice opto.

DE-

DEVOTIO AD S. JUDAM THADDÆUM APOSTOLUM.

Antiph. Qui timet DEum, faciet bona, & qui continens est justitiæ, apprehendet illam, & obviabit illi quasi Mater honorificata.

℣. Sancte Juda Patrone fidelissime.

℟. Placato nobis DEum clementiæ.

Oremus.

DEus, cujus bonitas & clementia exhauriri non potest: aures benignitatis tuæ, famulorum, famularumque tuarum precibus inclina, & præsta: ut omnes, qui te in Apostolo tuo Juda Thaddæo devote recolunt, meritis ejus efficacibus petitionis suæ effectum felicem consequantur. Amen.

Alia Oratio.

℣. Sancte Juda ora pro me.

℟. Et omnibus, qui colunt te.

Oremus.

Gloriose Christi Cognate, Apostole, & Martyr Sancte Juda; qui vastissimis in Regionibus fidem efferatis gentibus disseminasti: virtutibus ac miraculis clarus, innumerabiles Filios JEsu Christo peperisti: Per illum, qui te sibi Apostolum adscivit, precor, ut me miserum a consuetudine peccatorum meorum abstrahas, a cogitationibus immundis me tuis meritis præserves, & in rebus desperatis tuo mihi adsis Patrocinio:

cinio: ac tandem ad cœleſtem gloriam tuis precibus evehas, ubi Sancta Trinitas adoratur in Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Amen. Pater & Ave.

ALIA DEVOTIO.

AD S. DISMAM POENITENTEM LATRONEM MAGNUM AGONIZANTIUM PATRONUM.

Antiph. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis.

O! DISMA Latro pœnitens
Lectiſſime Patrone:
Sis mihi Tutor, moriens
Dum Luctor in agone.

Oratio.

Sancte Diſma, qui mira DEI providentia ex nefario Latrone in eximium pœnitentiæ ſpeculum evaſiſti, & paucas intra horas æterna tibi gaudia comparaſti: aſpice de ſublimi gloriæ tuæ throno in hanc vallem miſeriæ. Recordare, O! Sancte mirabilis, humanæ fragilitatis, ad malum ſemper, quam ad bonum, magis proclivis: recordare, & pro nobis ad DEum appella, ut ſicut per gratiam ſuam efficacem ad pœnitentiam, & Paradiſi cœleſtis gloriam te perduxit, ita nos famulos tuos, & famulas, eadem efficaci gratia ad dignos pœnitentiæ fructus impellat, ut peccata tecum abolentes, pie tibi commoriamur:

mur: ac una tandem in DEO ſalutari noſtro perrenniter exultemus. Amen.

Oratio S. Brigittæ.

Benedictio æterna ſit tibi, Domine mi JEſu Chriſte, qui exiſtens in mortis agonia omnibus peccatoribus ſpem de venia tribuiſti, quando Latroni ad te converſo, Paradiſi gloriam miſericorditer promiſiſti. *Pater noſter Ave Maria &c.*

Adhuc alia Oratio.

AD SANCTUM DISMAM.

Sancte Diſma, qui ex infinita JEſu Chriſti Domini noſtri miſericordia ab eodem audire meruiſti: hodie mecum eris in Paradiſo: impetra mihi quoque a miſericordiſſimo JEſu: ut ſicut te per gratiam ſuam efficacem ad veram pœnitentiam, & gaudia Paradiſi perduxit, ita me eadem efficaci gratia ad dignos pœnitentiæ fructus, veram contritionem, & perfectum ſui amorem impellat, & ad gaudia Paradiſi perducat. Amen.

Ad S. Petrum Apoſtolum.

Antiph. Tu es Paſtor ovium, Princeps Apoſtolorum tibi traditæ ſunt claves Regni cœlorum. Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, dicit Dominus Simoni Petro.

℣. Tu es Petrus:

℞. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Oremus.

DEus, qui Beato Petro Apoſtolo tuo, collatis clavibus Regni cœleſtis ligandi atque ſolvendi Pontificium tradidiſti: concede, ut interceſſionis ejus auxilio a peccatorum noſtrorum nexibus liberemur. Qui vivis &c.

O! Beate Petre claviger ætheree, intercedere digneris pro me ad Dominum, qui tibi tradidit claves Regni cœlorum, ut tua interceſſione placatus, concedat mihi meorum veniam peccatorum. Pete mihi etiam veræ pœnitentiæ compunctionem, ſicut tu habuiſti, quando amare deflebas negationem Magiſtri tui. Et ſicut te eripuit de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum, ita idem Dominus Deus meus dignetur me tuis Sanctis interceſſionibus eripere de manibus omnium inimicorum meorum, viſibilium, & inviſibilium, & poſt hanc caducam vitam me ad æternam perducat gloriam. Amen.

Ad S. Paulum Apoſtolum.

Antiph. Sancte Paule Apoſtole, Prædicator veritatis, & Doctor gentium, intercede pro nobis ad DEum, qui te elegit.

℣. Tu es vas electionis Sancte Paule Apoſtole.

℞. Prædicator veritatis in univerſo mundo.

Oremus.

Oremus.

DEus, qui universum mundum B. Pauli Apostoli prædicatione docuisti, da nobis quæsumus, ut cujus memoriam colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum nostrum &c.

O! gloriosum lumen omnium Ecclesiarum Sole splendidius! O! vere Apostolicum sidus altissimum Sancte Paule, qui æterni Regis splendorem tenebris gentibus infudisti, qui in terra positus cœlorum secreta petiisti, & quæ non licet homini loqui, prævidisti: illuc supplices tuos post hujus carnis terminum Oratione perducere digneris, quos fecisti veritatis lumen prædicatione agnoscere. Amen.

Ad S. Joannem Baptistam.

Antiph. Sancte Joannes Baptista, electe DEI tu es Angelus, tu ostendisti Agnum DEI Dominum & Salvatorem nostrum, qui tollit peccata mundi, tu baptizasti, & cognovisti mysterium, tu Præcursor Domini extitisti, Martyr gloriosus, & laudabilis Domini, intercede pro me ad Deum, ut vitam merear possidere æternam.

℣. Fuit homo missus a DEO

℟. Cui nomen erat Joannes.

Oremus.

Joannes beatissime Præcursor Christi, præco Judicis, amicus Sponsi, vox Verbi Divini, qui solatium nostræ Redemptionis annuntiare

me-



Sacerdos quidam ZACHARIAS. Luc. 1.

C. P. S. C. M. — Klauber Cath. Sc. et exc. A. V.

meruisti, impetra mihi misero apud eundem Dominum nostrum JEsum Christum tuis sanctissimis precibus, ut purgato a vitiis pectore, & ornato virtutibus, parem secundum salubria tua monita viam Domini, & rectas faciam semitas ejus, quatenus in extremo Judicio, cum aream Ecclesiæ suæ mundabit, & triticum a paleis separabit, merear inter grana tritici, & Electos suos inveniri, & in horreum cœlestis mansionis cum eis reponi. Amen.

Omnipotens æterne DEus, tuam ineffabilem ardenti voto imploramus clementiam, ut B. Joannis Baptistæ Præcursoris Domini nostri JEsu Christi hortamenta sectando, ad eum, quem verum Messiam, & unicum mundi Salvatorem agnovit, & digito monstravit inoffenso tramite securi pervenire valeamus. Quin & clementissime concede, ne hoc turbulentissimo sæculo a recta, sincera, & Catholica fide per falsa dogmata ad sectas perversas vel hæreses damnatas unquam abducamur. Per eundem Dominum &c.

Ad S. Joannem Apostolum & Evangelistam.

Antiph. Hic est Beatissimus Evangelista, & Apostolus Joannes, qui privilegio amoris præcipui, cæteris altius a Domino meruit honorari. Diligebat eum JEsus, quoniam specialis prærogativa Castitatis ampliori dilectione fecerat dignum; quia Virgo electus ab ipso, Virgo in ævum permansit.

℣. Hic est Discipulus ille, qui testimonium perhibet de his.

℟. Et scimus, quia verum est testimonium ejus.

Oremus.

Sancte Joannes Evangelista, cœlestium Secretorum sublimissimus Scrutator, & Scriptor, per immensas, & ineffabiles divitias Sapientiæ & suavitatis, quas de Sacrario Dominici pectoris potasti: nos miseri petimus, ut tuo interventu ab imminentibus hujus sæculi perturbationibus liberati æternis Beatitudinis gaudiis perfrui mereamur, & ut omnes fideles gratiæ divinæ, beatæque Genitricis Mariæ protectioni commendare digneris. Amen.

Oratio ad B. V. Mariam & S. Joannem Evangelistam S. Edmundi S. O. C. Cantuariens. Episcopi.

O! Intemerata, & in æternum benedicta singularis, atque incomparabilis Virgo DEI Genitrix Maria, gratissimum DEI templum, Spiritus S. Sacrarium, Janua Regni cœlorum, per quam post DEum totus vivit orbis terrarum. Inclina Mater misericordiæ, aures tuæ pietatis indignis supplicationibus meis, & esto mihi miserrimo peccatori pia & propitia in omnibus Auxiliatrix.

O! Joannes beatissime, Christi familiaris & amice, qui ab eodem Domino nostro JEsu

Christo Virgo es electus, & inter cæteros magis dilectus, atque in mysteriis cœlestibus ultra omnes imbutus: Apostolus enim & Evangelista factus es præclarissimus: Te etiam invoco cum Maria Matre ejusdem Domini JEsu Christi Salvatoris. O! duæ gemmæ cœlestes Maria & Joannes, o! duo luminaria divinitus ante DEum lucentia, vestris radiis scelerum meorum effugate nubila. Vos enim estis illi duo in quibus Unigenitus DEI Filius ob sincerissimæ Virginitatis meritum dilectionis suæ confirmavit privilegium, in cruce pendens uni vestrum ita dicens: Mulier, ecce Filius tuus: deinde ad alium: Ecce Mater tua: In hujus ergo tam sacratissimi amoris dulcedine, qua tunc ore Dominico velut Mater & Filius ad invicem conjuncti estis; vobis duobus ego miserrimus peccator commendo hodie corpus, & animam meam, ut in omnibus horis atque momentis interius & exterius firmi custodes, & pii ad DEum intercessores mihi existere dignemini. Poscite mihi corporis & animæ salutem: agite quæso, agite vestris gloriosis precibus, ut cor meum invisere, & inhabitare dignetur Spiritus altissimus, gratiarum largitor optimus, qui me a cunctis vitiorum sordibus expurget, virtutibus sacris illustret, & exornet, in dilectione DEI & proximi perfecte stare, & perseverare me faciat, & post hujus vitæ cursum ad gaudia ducat Electorum suorum benegnissimus Paraclytus. Qui cum Deo Patre & Filio vivit &c.

Ad S. Auguſtinum Epiſcopum & Eccleſiæ Doctorem.

Antiph. Lætare Mater noſtra Jeruſalem, quia Rex tuus Diſpenſatorem ſtrenuum, & civem fideliſſimum de ſervitute Babylonica tibi redemit Auguſtinum.

Oremus.

O! Glorioſum lumen Eccleſiæ, ſole ſplendidius, o! Catholicorum ſidus lucidiſſimum, piiſſime Pater Auguſtine, qui æterni luminis ſplendorem tenebroſis mentibus infudiſti, per ſanctæ doctrinæ inſtantiam, & ſanctiſſimæ vitæ exemplum, adjuva nos in præceptis & doctrinis tuis proficere, & quod eis eſt contrarium abjicere, ut in præſenti DEI gratiam habere, & in futuro ejus gloriam intueri valeamus.

Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens DEus, & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, intercedente B. Auguſtino Confeſſore tuo, atque Pontifice conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum &c.

Ad S. Norbertum Epiſcopum.

Antiph. Candidiores Nazarei ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchiores.

Oremus.

DEus, qui Beatum Norbertum Confeſſorem tuum atque Pontificem Verbi tui præconem eximium effeciſti, & per eum Eccleſiam tuam

nova

nova prole fæcundasti: præsta quæsumus, ut ejusdem piis suffragantibus meritis, quod ore simul & opere docuit, te adjuvante exercere valeamus. Per Dominum &c.

Ad Sanctum Brunonem.

Antiph. Salve Carthusianorum Dux & forma, oliva fructifera in rupium præruptis erumpens, odoriferum lilium in solitudine germinans, florens ac spargens vivificum suavitatis odorem: fac ut in ejus semper exultemus misericordia, cum quo tu lætaris in gloria.

Oremus.

DEus a quo deviare mori, cum quo ambulare vivere est, qui Sanctum Brunonem Confessorem tuum ab hominum frequentia semotum altissimæ contemplationis munere sublimasti: tribue nobis quæsumus Spiritum gratiæ, ut ejus exemplis informemur, meritis muniamur, precibus adjuvemur: ut sicut eum tua vocatio provexit ad coronam, ita nos ejus devotio perducat ad veniam.

Sancti Brunonis Confessoris tui, quæsumus Domine intercessionibus adjuvemur, ut qui Majestatem tuam graviter delinquendo offendimus, ejus meritis & precibus nostrorum delictorum veniam consequamur. Per Dominum &c.

Ad S. Dominicum Confessorem.

Antiph. O! Sancte Dominice amator pacis, lumen Ecclesiæ, Doctor veritatis, rosa patientiæ,

ebur Caſtitatis, aquam Sapientiæ propinaſti gratis: prædicator gratiæ junge nos Beatis: fac, ut tranſeamus iter tutum per viam virtutum ad cœleſtem Patriam.

Oremus.

DEus, qui Eccleſiam tuam Beati Dominici Confeſſoris tui illuminare dignatus es meritis & doctrinis, concede propitius, ut ejus intercesſionibus, temporalibus non deſtituatur auxiliis, & ſpiritualibus ſemper proficiat incrementis. Per Dominum &c.

Ad S. Thomam Aquinatem.

Oratio.

O! Doctor excellens, Speculum humilitatis, exemplar Caſtitatis, doctrinæ miraculum Sanctitatis cultor eximie, Beate Thoma de Aquino, tu nunc inter illos, qui docti fuerunt, & qui ad juſtitiam erudierunt multos, fulges quaſi Stella, & quaſi ſplendor Firmamenti in perpetuas æternitates. Reſpice ad nos infantes, rudes, ac inſipientes, qui veluti per nebulam cognoſcimus recondita cœleſtis ſapientiæ myſteria, & impetra nobis ab illo Domino, qui te mira eruditione clareſcere fecit, ut tuis Sanctis meritis, & precibus adjuti, Sanctam voluntatem illius, quam tu docuiſti, & intellectu aſſequi & opere complere valeamus.

DEus, qui Eccleſiam tuam beati Thomæ Confeſſoris tui mira eruditione clarificas, &

Benedictio. S. P. Francisci.



Benedicat tibi Dominus et Custodiat te, Ostendat faciē suā tibi, et misereatur tui: Convertat vultum suū ad te, et det tibi Pacē. T. Dominus benedicat te N. ✠.

C. P. S. C. M. 389. Mart. Engelbrecht exc. A. V.

ſancta operatione fæcundas: da nobis, quæſumus, & quæ docuit intellectu conſpicere, & quæ egit imitatione complere. Per Dominum &c.

Ad S. Franciſcum Seraphicum.

Antiph. Franciſcus pauper & humilis cœlum dives ingreditur, hymnis cœleſtibus honoratur.

Oremus.

O! Ferventiſſime amator Domini noſtri JEſu Chriſti, & admirabilis illius paupertatis ſtudioſiſſime imitator, Sancte Pater Franciſce, qui nunc in gloria de carne, mundo, & Diabolo feliciſſime triumphas, eſto memor miſeriæ, quam patior, & recordare mei, qui adhuc in luto hujus ſæculi immerſus, & in hoc miſeriarum Oceano conſtitutus, ad cœleſtem patriam, quibus poſſum ſuſpiriis, & gemitibus anhelo, & contra hoſtiles adverſarii inſultus pugno, quibus, proh! dolor! ægre reſiſto, ac ſæpius vincor, quam vinco: Tua tamen multum pro me valebit interceſſio apud Salvatorem meum, ſub cujus cruce primarium Ducem ſtrenue egiſti, & glorioſa triumphalis victoriæ Dominicæ ſigna etiam in mortali conſtitutus carne, in propriis membris conſecutus es: Impetra mihi, bone Pater, vires, quibus fortiter reſiſtam Diabolo, mundo, & corruptæ carni meæ, quæ & ipſa frequenter ſe ſe hoſtibus conjungit, contra me inſurgit, & in propria domo me hoſtiliter invadit, ac ejicere

conatur. Spero me tuis ſanctis precibus, & meritis obtenturum, ne adverſarius prævaleat contra debilem creaturam. Amen.

℣. Ora pro nobis Beate Pater Franciſce.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

DEus, qui Eccleſiam tuam Beati Franciſci meritis fætu novæ prolis amplificas, tribue nobis ex ejus imitatione terrena deſpicere, & cœleſtium donorum ſemper participatione gaudere. Per Dominum noſtrum &c.

Oratio quotidiana BEATI P. FRANCISCI.

DEus meus & omnia! qui es tu, dulciſſime Domine DEus meus! & quis ſum ego vermiculus, ſervus tuus! ſanctiſſime Domine, vellem te diligere, dulciſſime Domine, vellem te diligere. Domine DEus, ego tibi totum cor meum, & corpus meum dedi, & vehementer deſidero (ſi tamen ſcire poſſem) pro tuo amore plura facere. Amen.

Ad S. Antonium de Padua.

Antiph. In Sancto Antonio: Si quæris miracula: mors, error, calamitas, dæmon lepra fugiunt: ægri ſurgunt ſani: cedunt mare, vincula: membra, reſque perditas petunt, & accipiunt juvenes & Cani. Pereunt pericula, ceſſat & neceſſitas, narrent hi, qui ſentiunt, dicant Paduani.

Oremus.

Oremus.

Ecclesiam tuam DEus Beati Antonii Confessoris tui deprecatio votiva lætificet, & spiritualibus semper muniamur auxiliis, & gaudiis perfrui mereamur æternis. Per Dominum &c.

Ad S. Ignatium Confessorem.

Antiph. In doctrinis glorificare Dominum, & in Insulis maris nomen DEI JEsu.

Orsmue.

O! pie, ac Beate Pater Ignati, qui singulari DEI Benignitate de sæculi vanitatibus, ad spiritualis vitæ instaurationem evocatus es, ut esses vas electionis ad instaurandas Ecclesiæ hoc tempore per hæreticos, & infideles afflictæ ruinas: Te deprecor per omne id, quod tibi charum est, ut meminisse mei digneris apud Altissimum, mihique impetres igneum illum zelum pro gloria DEI, & ferventissimum amorem JEsu, quo in hac vita mirum in modum arsisti: ut ita de illo ipso divino Spiritu, quem augustissimæ Societati tuæ reliquisti, in hac vita participans, in altera vita in beatissima omnium electorum JEsu Societate merear numerari.

DEus, qui Servum tuum Beatum Ignatium de militia sæculi saucium ad spiritualis militiæ triumphos evocasti: præsta quæsumus: ut quem vitæ ducem propter te sequimur in terris, Patronum semper apud te sentiamus in cælis. Per Dominum &c.

Ad S. Franciſcum Xaverium.

Antiph. Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus.

Oremus.

DEus, qui Evangelium Regni tui per Barbaras gentes, & abſconditas nationes Sancti Franciſci Xaverii ſervi tui prædicatione ſeminaſti, & ejus Sanctitatem mira puriſſimi corporis conſervatione declaras: concede quæſumus, ut cujus recolimus memoriam, imitemur & mores. Per Dominum &c.

Sancte Franciſce Xaveri glorioſiſſime Indiarum Apoſtole, multis, & eximiis virtutum gratiarum, ac miraculorum donis a DEO toto orbe illuſtrate, cujus cor aſſiduo amoris DEI igne flagrabat: cujus lingua fuit vas electionis portans nomen Domini coram gentibus cujus vita unicum erat deſiderium ſalutis animarum, qui toto oriente innummerabiles populos cœlo, Deoque lucrifeciſti: lucrare quæſo & hanc miſellam animam meam tibi devotam impetra mihi per merita Sanguinis, & amaræ Paſſionis JEſu Chriſti veram ſinceramque contritionem, & efficax auxilium gratiæ divinæ, & ſi eſt ad animæ meæ bonum, hoc N. peculiare beneficium, & auxilium divinum, quod ad ſolam DEI gloriam, ad imitationem tui ſupplex rogo per tuam interceſſionem. Aſſume ad id mihi impetrandum ſanctiſſimam miſericordiæ Matrem, refugium omnium noſtrum Mariam, quæ viſceribus commotis agat miſe-

miſericordiæ Advocatam immeriti Clientis tui. Da ut ſincero corde cum plena voluntatis meæ reſignatione tecum DEum amem, ac in amore ejus feliciter tandem emoriar. Amen.

10. *Pater & Ave & 10. Gloria Patri in memoriam 10. annorum, quos pro ſalute proximi in Indiis impendit S. Xaverius.*

Ad Sanctum Blaſium Epiſcopum & Martyrem.

Patronum contra dolores colli & gutturis

Oratio.

DEus qui per Orationes Beati Blaſii Martyris tui atque Pontificis, fidelibus ejus memoriam facientibus, in quavis tribulatione, infirmitate, aut adverſitate conſtitutis, benignum præſtas auxilium: concede propitius, ut cujus memoriam agimus in terris, eodem præcante gloriam conſequamur in cœlis. Per Dominum noſtrum &c.

Ad S. Liborium Epiſcopum.

Patronum contra Calculum.

Oratio.

DEus qui Beatum Liborium Pontificem tuum, aliis innumeris glorioſum miraculis ſpeciali in medendis arenarum & Calculi paſſionibus privilegio decoraſti: præſta quæſumus, ut ipſius meritis & interceſſione his, aliiſque malis eruti, gaudiis perfrui mereamur in cœlis. Per Dominum &c.

Ad

Ad S. Florianum Martyrem.

Patronum contra ignem devastantem.

Oratio.

DEus, qui nos annua Beati Floriani Martyris tui gloriosa solemnitate lætificas, solita pietatis largitate concede benignus, ut ejus famosum victoriæ triumphum pio amore veneremur in terris, societatisque ejus lætitiam adipisci te largiente mereamur in cœlis. Per Dominum &c.

Ad S. Valentinum Presbyterum.

Patronum contra morbum caducum.

Oratio.

DEus, qui sancto tuo Martyri Valentino dedisti virtutem curandi morbos incurabiles; quique Cerimonem, dorso in arcum incurvato, & usque ad genua inclinato, contractis brachiis, & cruribus, præ dolore gementem, precibus ejus misericorditer sanasti: te supplices exoramus, ut ab infirmitate, quæ nos a recto retrahit, liberemur, & meritis tui Martyres Valentini a morbo corporis, & animæ salvemur. Per Dominum &c.

Ad Sanctum Sebastianum.

Patronum contra Pestem.

Oratio.

O! Magnæ fidei Sanctissime Sebastiane Miles beatissime, cujus meritis & precibus tota Patria Lombardiæ a mortifera Peste fuit libera-

ta, intercede pro nobis ad Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, ut nos tuo beato interventu, ab ipſa Peſte Epidemiæ, ab improviſa morte, & ab omni adverſitate corporis & animæ liberare, & defendere dignetur, donetque nobis tantum vitæ ſpatium, & tantam emendationem peccatorum noſtrorum, ut poſt hoc exilium ſacris tuis precibus cum Chriſto collætemur. Amen.

Ad Sanctum Stapinum Epiſcopum.

Patronum contra Podagram, alioſque morbos arthriticos.

Oratio.

Sancte Stapine Chriſti Confeſſor, atque Epiſcope fulgens virtutibus: ad DEum funde preces pro te invocantibus, ne vexemur morbo Podagræ pro noſtris reatibus, ſed ſani & incolumes vivere valeamus in hac vita tuis interceſſionibus; & poſt hujus vitæ finem in cœleſtibus collocari mereamur in ſupernis ſedibus.

Omnipotens ſempiterne DEus qui ad preces glorioſiſſimi Confeſſoris atque Pontificis Stapini erigis eliſos, & ab omni dolore Podagræ, Chiragræ, & ſimilium reddis liberos & ſanos: concede nobis precantibus, ut non ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis, ſed meritis & interceſſionibus glorioſiſſimi Confeſſoris atque Pontificis Stapini, ab omni vexatione Podagræ, & ab omnibus malis liberemur, Per Dominum &c.

Ad

Ad S. Apolloniam Virginem. & Martyrem.

Patronam contra dolorem dentium.

Virgo DEI egregia pro nobis, Apollonia,
Funde preces ad Dominum, ut tollat omne noxium.
Ne pro reatu criminum, morbo vexemur dentium,
Sed Sanitate mentium gratulemur & corporum.

Oremus.

DEus, pro cujus ſanctiſſimi nominis honore Beata Apollonia, Virgo & Martyr glorioſa, horribilem dentium excuſſionem patienter ſuſtinuit: præſta quæſumus, ut qui ejus venerandam memoriam pia devotione recolimus, ad ejus honorem a dolore dentium, pro benigna tua voluntate liberemur, & poſt hujus vitæ ærumnas ad beatæ patriæ gaudia perducamur. Per Dominum &c.

Ad S. Catharinam Virginem & Martyrem.

Patronam Philoſophorum.

Antiph. Poſt plurima ſupplicia Martyr alma ad decollandum eſt ducta, ad cœlum manus, oculoſque tendens, ſub jugulo orans, dat gloriam DEO. Expecto pro te gladium JEſu bone, tu meum da Paradiſo Spiritum; & fac miſeri-

Dentem pro dente
restituet Deus.

Auch Gott wird für einen Zan
einen Zan zuruckgeben.

S. Apollonia dentib9 trucu-
lenter excussis coronã meruit: me-
rebit coronã, quicunq; mordacem
dentem mititate violenta expurgabit.
Die H. Apollonia hat eine Cron verdienet
durch grausame Außreissung der Zän: du
kanst eine Cron verdienen, so du mit einer ge-
waltige Sanfftmuth einen bissigen Zan
aus deinem Maul bringest.

C.P.S.C.M. Klauber Cath. Sc. et exc. A.V.

cordiam meam agentibus memoriam. Vox de cœlo intonuit: Veni electa mea, veni, intra in thalamum Sponsi tui: quod postulas, impetrasti; pro quibus oras, salvi erunt.

Oremus.

Sanctissima atque piissima Virgo, & Martyr, tuæ castæ Virginitati commendo me, ut tuis sanctissimis precibus mihi subvenias, ac deprecationes meas exorabiles facias. O! Martyr DEI invictissima, ne repellas, neque despicias me propter innumerabilia peccata mea, sed pacem, & indulgentiam mihi impetra, & dilectissimum Sponsum tuum Dominum nostrum JEsum Christum pro me deprecare, ut idem Dominus ac Salvator noster omnes actus cordis, & corporis mei temperet; atque disponat, & inter omnes mundi hujus lubricos casus ibi mei cordis figat desiderium, ubi verum, & perenne est gaudium. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum DEO Patre & Spiritu Sancto &c.

Ad quemvis Apostolum.

Oratio.

Salve Sancte N. magnæ DEI Ecclesiæ Princeps maxime, salve belli triumphalis Dux, salve cœlestis aulæ heros inclyte, quem Christus Servator noster, de hoc mundo elegit, Apostolumque suum fecit. Eja maxime & fidelissime DEI Nuntie, Sancte DEI Apostole N. legationem pro me ad Thronum misericordiæ, suscipe: impetra

petra mihi veram fidem, quæ in persecutionibus non frangitur, solidam spem, quæ in tribulationibus non dejicitur, ardentem charitatem, quæ in tribulationibus, multifariisque hujus sæculi negotiis non extinguitur, & perseverantiam in bonis operibus, ne ad sinistram vel ad dextram declinem, sed viam regiam ambulem, donec perveniam ad eum, qui est via, veritas, & vita, JEsum Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad quemvis Martyrem.

Oratio.

Præsta quæsumus omnipotens DEus, ut intercedente Beato N. Martyre tuo, & a cunctis adversitatibus liberemur in corpore, & a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum &c.

Ad plures Martyres.

Oratio.

Omnipotens sempiterne DEus, pro cujus amore, & fidei confessione sancti Martyres N. N. tormenta omnia patientissime tollerantes, se ipsos in vivum Sacrificium obtulerunt: da ut eorum exemplo provocati, omnia hujus mundi mala fortiter contemnamus, & animam nostram propter te libenter etiam perdamus, ut in æternum salvam eam inveniamus, & te mercedem æternam possideamus. Qui vivis &c.

Ad quemvis Confessorem
Oratio.

Salve cœlestis curiæ triumphale decus, O! Sanctissime DEI Confessor N. singularis amice DEI, & lumen Ecclesiæ, vivum templum Spiritus Sancti: serva populum tuum in Sanctitate & justitia misertus nostri, qui inter tot miserias memoriam abundantiæ tuæ eructamus. O! Beatissime N. qui solutus hoc carcere miserrimo lætus, securusque evolasti in Patriam, non jam malis urgeris amplius, nec infestaris a Sathana, nec solicitaris variis artibus ut desciscas a Christo: adjuva nos miseros, qui hic tot casibus jactamur, fluctuamus inter undas præsentissimi periculi; ora Patrem cœlestem, cui unus inseparabiliter conjunctissimus es, ut nos illuc quoque vocet, imo renitentes pertrahat, ut unum & tecum simus & cum illo, præstante Domino JEsu Christo, cui laus in sæcula sæculorum. Amen.

Ad quamvis Virginem Martyrem
Oratio.

Gaude O! Christi Martyr invictissima N. duplici nobis veneranda titulo; quæ non contenta Virginitatis puritate, huic addere voluisti Martyrii constantiam, converte in nos miseros oculos tuos purissimos, qui adhuc in procelloso mundi pelago fluctuantes adeo debiles sumus, adeo infirmi, & molles, ut vel levis aura, vel exigua commoditas, turpis cupiditas, aut brevis

voluptas a Christi Sponsi tui charitate nos abstrahat. O! Virgo castissima per invictum illud robur tuum, per ipsum te rogo, qui te elegit, qui te talem fecit, de cujus pulchritudine jam satiaris, de cujus immortalitate jam immortalis facta es, esto memor nostri, & deprecare pro nobis Dominum nostrum JEsum Christum, ut immotam nobis tribuat fidei constantiam & charitatem, a qua nec bonorum temporalium jactura, nec popularis auræ metus, nec voluptatis titillatio, nec cupiditas, aut animi ulla perturbatio, separet: sed quæ inter omnes terrores, & minas hujus sæculi, inter omnes tentationes Diaboli, inter omnes illecebras carnis maneat illæsa & integra; donec perveniamus ad illam Patriam, quæ tranquilla est, quæ nec hostem timet, nec ullo metu mortis afficitur, sed de perpetuæ gloriæ incorruptione lætatur, ubi tu cum Christo vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ad quamvis Virginem non Martyrem.

Oratio.

Salve Castissima Virgo, Beatissima N. quæ ab ipsis incunabulis corpus tuum Christo consecrasti, & in hoc mundo inter homines, non humanam, sed Angelicam vitam duxisti, in carne vivens, sed nullum carnis habens consortium, O! Virgo sanctissima, impetra etiam nobis gra-

tiam

tiam ab eo, cui ſerviviſti, quem ſuper omnia dilexiſti, in cujus amplexibus nunc molliter quieſcis, ut templum Spiritus Sancti, quod nos ſumus, omni diligentia cuſtodiamus, nec immundis actibus, obſcœnis cogitationibus, aut impuris verbis illud polluamus. Impetra mihi gratiam apud Chriſtum Sponſum tuum, ut fortitudinem mihi conferat, qua carnem Spiritui ſubjiciam, ejus deſideria in me occidam, & non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum ambulem, tollat a me omnes peccandi occaſiones, & det, ne, cum voluntas prompta eſt, caro per infirmitatem labatur; ut demum poſt hanc vitam conſequi merear æternam illam beatitudinem, qua tu nunc frueris cum Sponſo tuo Domino noſtro JEſu Chriſto per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

OFFICIUM.
DE OMNIBUS SANCTIS.
AD MATUTINUM.

℣. Domine labia mea aperies,
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. DEus in adjutorium meum intende.
℣. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

HYMNUS.

S. Alberti Magni.

Summi Pater Sancte DEus,
Peccatorum ego reus,
Peccatorum miserere,
Ut sic digne queam flere,
Quæ commisi nequiter.

Si vis, potes, me mundare,
Sine te non possum stare,
Sed nec ad te datur ire,
Nisi mihi subvenire
Digneris celeriter.

JEsu Christe Verbum Patris,
Qui carnem de carne Matris
Homo factus induisti,
Et propter nos obiisti
Crucis in patibulo:

Precor memor tuæ mortis
Mihi sis Adjutor fortis;
Ac dono tuæ virtutis
Auctor meæ sis salutis
In meo periculo.

Utriusque pneuma sacrum,
Esto mihi nunc lavacrum,
Peccatorum sordes mundans.
Atque meum cor fœcundans,
Spiritali gratia.

Si me laves, mox mundabor,
Nisi Sanes, non curabor,

Si

Si non dones, nec orare
Quidquam possum, nec laudare,
DEum cum fiducia.
Tu qui trinus in Personis,
Indivisus es in donis,
DEus Pater, Flamen, Nate,
Tres in una Deitate,
Et unum in substantia,
Meæ mentis Trinitatem
Regens duc ad unitatem
Fidei, Spei, Timoris,
Totum me cœlestis roris,
Replens abundantia.

Antiph. O! quam gloriosum est Regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amicti Stolis albis, sequntur Agnum quocunque ierit.

℣. Domine per merita Sanctorum tuorum exaudi nos.

℟. Et per misericordiam tuam largire nobis petitiones nostras.

Oremus.

Concede quæsumus Omnipotens DEus, ut intercessio Sanctæ DEI Genitricis Mariæ, Sanctorumque omnium Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, & omnium Electorum tuorum nos ubique lætificet; ut dum eorum merita recolimus, Patrocinia sentiamus. Per Dominum &c.

AD LAUDES.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Ad Beatissimam Virginem.

O! Præclara Stella maris,
Mater, Virgo singularis,
Speculum Virginitatis,
Et totius Trinitatis
Nobile Triclinium.
Ora pro me, Virgo pia,
Ut in hujus vitæ via
Conversando sic incedam,
Ne post mortem sim in prædam
Hostibus Fidelium.

Antiph. Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto Fæmineo Sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam sanctam commemorationem.

℣. Ave Maria gratia glena.

℟. Dominus tecum.

Oratio *ut supra.*

AD PRIMAM.

℣. DEus in adjutorinm &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Ad Sanctos Angelos.

Chori novem Angelorum,
In Sion DEum Deorum,

Con-

Contemplando quem videtis,
Et in ejus, qui gaudetis
Jugiter præſentia.
Ipſum, precor, exorate,
Ut ex ſua pietate,
Lavet in me, quidquid ſordet,
Et dimittat, quod remordet,
Triſtis conſcientia.

Antiph. Laudemus Dominum, quem laudant Angeli, quem Cherubim, & Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamant.

℣. In conſpectu Angelorum pſallam tibi DEus meus.

℟. Adorabo ad templum Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo

Oratio *ut ſupra.*

AD TERTIAM.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Ad Sanctum Joannem Baptiſtam.

Joannes Baptiſta Chriſti,
Vocem Patris, qui audiſti,
Et vidiſti deſcendentem
Spiritum clare nitentem
In columbæ ſpecie.
Ipſum ora Baptizatum,
Ut peccatis emundatum
Me poſt temporalem mortem
Eſſe faciat conſortem
Æternalis gloriæ.

Antiph. Hic est Propheta, & plus quam Propheta, de quo Salvator testatur; nullus major inter natos mulierum Joanne Baptista.

℣. Fuit homo missus a DEO.

℟. Cui nomen erat Joannes.

Oratio *ut supra.*

AD SEXTAM.

℣. DEum in adjutorium &c. *ut supra.*

HYMNUS.

Ad Sanctos Apostolos.

O! Vos Proceres bis seni
Spiritali musto pleni,
Signis, factis, & doctrina,
Sacramenta qui divina
Edidistis libere.
Preces vestras ferte pro me,
Ut illo tremendo die,
Quando judex est venturus,
Pius justis, malis durus,
Ejus jungar dexteræ.

Antiph. Isti sunt, qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam Sanguine suo.

℣. In omnem teram exivit Sonus eorum.

℣. Et in fines orbis terræ verba eorum.

Oratio *ut supra.*

AD NONAM.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut supra.*

HYM-

HYMNUS.

Ad Sanctos Martyres.

O! Beati Chriſti Teſtes,
Qui laviſtis veſtras veſtes
Ejus Agni in Cruore,
Mundum ſuo qui livore
Sanaſtis feliciter.
Vos nunc in conſpectu DEI,
Memores eſtote mei,
Ut poſt hujus vitæ curſum
In cœlum conſcendam ſurſum
Ad lætandum jugiter.

Antiph. Tradiderunt corpora ſua propter DEum ad ſupplicia, & meruerunt habere Coronas perpetuas.

℣. Lætamini in Domino, & exultate juſti.
℟. Et gloriamini omnes recti corde
Oratio *ut ſupra.*

AD VESPERAS.

℣. DEus in adjutorium &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

Ad Sanctos Confeſſores.

Omnes Sancti Confeſſores,
Quorum vitam, verba, mores
Hic ſic Chriſtus approbavit,
Ut vos ſecum nunc locarit
In cœli Palatio.
Ne Seductor animarum
In hac valle lacrymarum,

Me in ulla parte lædat,
Pro me precor, intercedat
Veſtra ſupplicatio.

Antiph. Sancti mei, qui in carne poſiti certamen habuiſtis, mercedem laboris ego reddam vobis.

℣. Juſti autem in perpetuum vivent.

℟. Et apud Dominum eſt merces eorum.

Oratio *ut ſupra*,

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos DEus ſalutaris noſter.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. DEus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

Ad Sanctas Virgines.

Cum decore Virginali
Fide Chriſti ſpeciali
Quæ ferventer adhæſiſtis,
Et lætanter introiſtis
In ejus potentias.
Mihi veſtris obtinete
Precibus, ut cum quiete
A peccatis abſolutus
Liber vadam, atque tutus
Ad cœleſtes nuptias.

Antiph. Prudentes Virgines aptate lampades veſtras: ecce ſponſus venit, exite obviam ei.

℣. Ad-

℣. Adducentur Regi Virgines post eam;
℟. Proximæ ejus afferentur tibi.
Oratio *ut supra.*

COMMENDATIO.

Universi Cives Cœli
Precor vos mente fideli,
Qui cum Christo nunc regnatis,
Ut meæ calamitatis
Memores, & miseriæ.

Oretis pro peccatore,
Ut a Leviathan ore
Ego liber, ac solutus
Ex hac vita vadam tutus
Ad tribunal gloriæ. Amen.

Septem Psalmi Pœnitentiales, cum Litaniis ad omnes sanctos ad publicam, privatamque pœnitentiam utilissimi.

I. Psalmus VI.

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in irat ua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum; sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde; sed tu Domine usquequo.

Convertere Domine, & eripe animam meam; salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quo-

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſcedite a me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant, & conturbentur vehementer omomnes inimici mei, convertantur, & erubeſcant valde velociter.

II. Pſalmus. XXXI.

Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata.

Beatus Vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec eſt in Spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die, ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua: converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & injuſtitiam meam non abſcondi.

Dixi: confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pro

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus: in tempore oportuno.

Verum tamen in diluvio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus, & mulus: quibus non est intellectus.

In camo, & fræno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate justi; & gloriamini omnes recti corde.

III. Psalmus. XXXVII.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi; & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum; & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ: a facie inſipientiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea.

Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus a te non eſt abſconditus.

Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipſum, non eſt mecum.

Amici mei, & proximi mei: adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt.

Et qui juxta me erant, de longe ſteterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones.

Quoniam in te Domine ſperavi: tu exaudies me Domine DEus meus.

Quia dixi, ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei: & dum commoventur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.

Quoniam ego in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, & confirmati ſunt ſuper me: & multiplicati ſunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi: quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine DEus meus: ne diſceſſeris ame.

Intende in adjutorium meum: Domine DEus Salutis meæ.

IV. *Pſalmus. L.*

Miſerere mei DEus; ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: & a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccavi & malum coram te feci: ut juſtificeris in ſermonibus tuis & vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum & in peccatis concepit me Mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſper-

Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me DEus: & Spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: & Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: & Spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus DEus, DEus salutis meæ, & exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses Sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium DEO Spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum DEus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis Sacrificium justitiæ, oblationes & holocausta: tunc imponent super Altare tuum vitulos.

V. Pſalmus CI.

Domine exaudi orationem meam: Et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhæſit os meum carni meæ.

Similis factus ſum pellicano ſolitudinis, factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi: & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, adverſum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miſcebam.

A facie iræ, & indignationis tuæ: quia elevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinaverunt: & ego ſicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem & generationem.

Tu exurgens Domine miſereberis Sion: quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: & terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes Reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: & non sprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de Excelso Sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini: & laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum: & Reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem & generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt: & semen eorum in sæculum dirigetur.

VI. Psalmus CXXIX.

De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem: ſperet Iſrael in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum Redemptio.

Et ipſe redimet Iſrael: ex omnibus iniquitatibus ejus.

VII. Pſalmus CXLII.

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua juſtitia.

Et non intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Quia perſecutus eſt inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi: & anxiatus eſt ſuper me Spiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit Spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam: quia in te ſperavi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia DEus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine, vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego ſervus tuus ſum.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto &c.

Antiph. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel Parentum noſtrorum; neque vindictam ſumas de peccatis noſtris. Parce Domine, parce populo tuo, quem redemiſti pretioſo Sanguine tuo, ne in æternum iraſcaris nobis.



C. P. Maj. 380. M. Engelbrecht exc. A.V.

LITANIÆ
DE OMNIBUS SANCTIS.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon,
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis DEus. Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEus. Miſerere nobis.
Spiritus Sancte DEus. Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus DEus. Miſerere nobis.
Sancta Maria. Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix. Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum. Ora pro nobis.
Sancte Michael. Ora pro nobis.
Sancte Gabriel. Ora pro nobis.
Sancte Raphael. Ora pro nobis.
Omnes Sancti Angeli & Archangeli Orate pro nobis.
Omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines. Orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptiſta. Ora pro nobis.
Sancte Joſeph. Ora pro nobis.
Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ. Orate pro nobis.
Sancte Petre. Ora pro nobis.
Sancte Paule. Ora pro nobis.
Sancte Andrea Ora pro nobis.
Sancte Jacobe Ora pro nobis.
Sancte Joannes Ora pro nobis.
Sancte Thoma Ora pro nobis.

Sancte Philippe
Sancte Bartholomæe
Sancte Matthæe
Sancte Simon
Sancte Thaddæe
Sancte Matthia
Sancte Barnaba
Sancte Luca
Sancte Marce } Ora pro nobis.

Omnes Sancti Apostoli & Evangelistæ. Orate pro nobis.

Omnes Sancti Discipuli Domini. Orate pro nobis.

Omnes Sancti innocentes. Orate pro nobis.

Sancte Stephane. Ora pro nobis.

Sancte Laurenti. Ora pro nobis.

Sancte Vincenti. Ora pro nobis.

Sancti Fabiane & Sebastiane. Orate pro nobis.

Sancti Joannes & Paule. Orate pro nobis.

Sancti Cosma & Damiane. Orate pro nobis.

Sancti Gervasi & Protasi. Orate pro nobis.

Sancte Sylvester
Sancte Gregori
Sancte Ambrosi
Sancte Augustine
Sancte Hieronyme
Sancte Martine
Sancte Nicolae } Ora pro nobis.

Omnes Sancti Pontifices & Confessores. Orate pro nobis

Omnes Sancti Doctores. Orate pro nobis.

Sancte

Sancte Benedicte
Sancte Antoni
Sancte Maure
Sancte Bernarde
Sancte Dominice
Sancte Francisce
} Ora pro nobis.

Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ. Orate pro nobis.

Omnes Sancti Monachi & Eremitæ. Orate pro nobis.

Sancta Anna
Sancta Maria Magdalena
Sancta Agatha
Sancta Lucia
Sancta Agnes
Sancta Cæcilia
Sancta Catharina
Sancta Anastasia
Sancta Scholastica
} Ora pro nobis.

Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ. Orate pro nobis

Omnes Sancti & Sanctæ DEI. Intercedite pro nobis.

Propitius esto. Parce nobis Domine.

Propitius esto. Exaudi nos Domine.

Ab omni malo. Libera nos Domine.

Ab omni peccato. Libera nos Domine.

Ab ira tua. Libera nos Domine.

A subitanea & improvisa morte. Libera nos Domine.

Ab insidiis Diaboli. Libera nos Domine.

Ab ira, & odio & omni mala voluntate
A Spiritu fornicationis
A fulgure & tempestate
A morte perpetua
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ
Per Adventum tuum
Per Nativitatem tuam
Per Baptismum & sanctum Jejunium tuum
Per Crucem & Passionem tuam
Per mortem & Sepulturam tuam
Per sanctam Resurrectionem tuam
Per admirabilem Ascensionem tuam
Per Adventum Spiritus Sancti Paraclyti
In die Judicii.

} Libera nos Domine

Peccatores. Te rogamus audi nos.

Ut nobis parcas
Ut nobis indulgeas
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, & conservare digneris.
Ut Domnum Apostolicum & omnes Ecclesiasticos Ordines in Sancta Religione conservare digneris.
Ut inimicos Sanctæ Ecclesiæ humiliare dig-
Ut Regibus & Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare digneris.
Ut cuncto populo Christiano pacem & unitatem largiri digneris.
Ut nos metipsos in tuo sancto servitio confortare & conservare digneris.

} Te rogamus audi nos.

Ut mentes noſtras ad cœleſtia deſideria erigas.
Ut omnibus Benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas.
Ut animas noſtras, Fratrum, Propinquorum, & Benefactorum noſtrorum ab æterna damnatione eripias.
Ut fructus terræ dare, & conſervare digneris.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris.
Ut nos exaudire digneris.
Fili DEI.

} Te rogamus audi nos.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi. Miſerere nobis.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter &c.

Oremus.

DEus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram; ut nos & omnes Famulos tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat.

Exaudi quæſumus Domine, ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos & a peccatis omnibus exuas, & a pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiterne DEus, qui vivorum dominaris simul & mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide, & opere futuros esse prænoscis: Te supplices exoramus, ut pro quibus preces effundere decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum &c.

℣. Domine exaudi orationem meam

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino

℟. DEO gratias.

℣. Et Fidelium animæ per misericordiam DEI requiescant in pace.

℟. Amen.

Exer-

Eris corona gloriæ in manu Domini. If. 62.



S. CORONA Mart. 14. Maÿ.
Reposita eſt mihi corona juſtitiæ. 2. Tim. 4.

C. P. S. C. M. Klauber Cath. Sc. et exc. A. V.

Exercitium aliud Orationis Vocalis in peculiaribus necessitatibus.

Octo Versiculi e Psalmis Davidicis a S. Bernardo selecti. quos ipse quotidie pro felici mortis hora dixisse traditur.

Illumina oculos meos Domine, ne umquam obdormiam in morte: ne inimicus dicat, prævalui adversus eum. *Ps.* 121.

In manus tuas commendo Spiritum meum: redemisti me Domine DEus veritatis. *Ps.* 30.

Locutus sum in lingua mea: notum fac mihi Domine finem meum. *Ps.* 38.

Et numerum dierum meorum, quis est: ut sciam, quid desit mihi. *Ps.* 38.

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adjuvisti me & consolatus es me. *Ps.* 85.

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: & nomen Domini invocabo. *Ps.* 115.

Periit fuga a me: & non est, qui requirat animam meam. *Ps* 141.

Clamavi ad te Domine, dixi, tu es spes mea; portio mea in terra viventium. *Ps.* 141.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Omnipotens sempiterne DEus, qui Ezechiæ Regi Juda te lacrymabiliter deprecanti vitæ spatium protendisti: concede mihi indigno

famulo

famulo tuo ante diem mortis meæ tantum vitæ ſpatium, ut omnia peccata mea valeam deplorare, & veniam, ac gratiam te miſerante merear accipere.

Omnipotens, benigne, ac miſericors DEus te oro humiliter per anxiam Filii tui mortem, concede mihi horam felicem ac beatam, cum anima mea diſceſſura eſt a corpore. æternitatem.

Domine JEſu Chriſte, per illam amaritudinem, quam ſuſtinuiſti pro me in Cruce, maxime cum anima tua egreſſa fuit de corpore tuo, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo. Qui vivis &c.

Poſtulatio Humilitatis.

O! Domine JEſu Chriſte, amator, & Magiſter Humilitatis, qui abjecta hujus mundi eligis, ut confundas fortia, quique ſecreta tua abſcondis mundi ſapientibus, & revelas ea parvulis, apud quem etiam abominabile eſt, quod altum eſt hominibus: infunde cordi meo perfectiſſimam humilitatem. Dulcis JEſu, qui dixiſti: Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde, doce me, ut ferventiſſimo deſiderio optem, gaudenſque accipiam omnem humiliationem, vilificationem, atque contemptum mei ipſius. Exſtingue piiſſime JEſu, in me omnem appetitum inanis gloriæ, ut ex toto corde meo cupiam, gaudeamque neſciri, contemni, vilis reputari, & opprobria pati. Eja piiſſime JEſu, fac, ut tibi ſoli placere cupiam, & propter me nemini diſplicere

plicere timeam. Fac, ut propriam vilitatem, miſeriam, inconſtantiam, pravitatem, & quam nihil ſim, vere cognoſcam & ex animo deteſtabilem me ſentiam, atque ab aliis ſentiri cupiam, Obſecro te per humilitatem cordis tui, miſericordiſſime JEſu, da mihi humilitatem Spiritus, ut in ſervo tuo nihil unquam de peſte ſuperbiæ, ac vanæ gloriæ inveniatur. Dulcis JEſu, libera, & cuſtodi me ſemper ab hoc malo, ut nullo modo me poſſit inquinare, quandoque idem tot bonæ ſpei homines, & qui perfecti in gratia tua videbantur, ex hac peſte perierunt. Eja piiſſime JEſu exaudi me, & infunde mihi humilitatem, quantam tu in me velles maxime tibi acceptam, Rogo te pie, & exorabilis Domine DEus, per omnipotentem, & piiſſimam bonitatem tuam, qua juſtificas impios, & vivificas mortuos, qua mutas peccatores, & non ſunt, ut non permittas duriſſimam peſtem ſuperbiæ dominari, nec aliquatenus ineſſe ſervo tuo. Dulcis JEſu, obſecro per humilitatem cordis tui, nuſquam veniat in animam meam, nunquam in aliquod membrum corporis, aut ſenſum animæ meæ, quod ſuperbiam, arrogantiam, propriam complacentiam, aut inanem gloriam ullo modo redoleat. Amen.

Poſtulatio Caſtitatis.

O! Divine & adorande Spiritus, cui deliciæ ſunt, in caſtis, puriſque verſari cordibus, quæ tibi pro templis dignatus es conſecrare. Scio Domine, nullum, niſi tu dederis, poſſe continen-

tinenter vivere, ſed tuum hoc eſſe donum cognoſco. Quamobrem ad te ſupplex confugio, & precor enixe, ut hunc inſignem continentiæ Theſaurum immaculatum in me tueri, ac conſervare digneris. Da Domine, quod ipſe jubes, & jube, quod vis, renes meos, & cor meum ure, carnes etiam meas Domine tuo confige timore, ut tibi caſto ſerviens corpore, & mundo placens corde, ad ineffabilem tandem tuæ viſionis divinæ beatitudinem, & gloriam mundis cordibus promiſſam, feliciter per tuam miſericordiam pertingere valeam. Qui cum Patre &c.

Contra Tentationes Carnis.

Tu ſcis bone JEſu, quam acri certamine carnis incentiva me fatigent, & quo continuo in periculo mea ſemper fragilitas verſetur, agnoſcis: ne ſinas Domine JEſu, & tu Sanctiſſima Chriſti Mater, & Virgo Maria, ut tam immani me ſcelere obſtringam, quod propter vilem, & momentaneam carnis delectationem, veſtram velim perdere amicitiam, & quæ nunquam finitur, beatitudinem. Adjuva me Domine JEſu Chriſte, ut prope in omni meo certamine decertem, & per tuæ rorem miſericordiæ omnis in me carnis exſtinguatur inflammatio, ut per tuam gratiam, non ſolum corpus, ſed & animum caſtum, & purum, a ſordidis, & libidinoſis cogitationibus ſervem, impurasque carnis voluptates non ſolum fugiam, ſed & horeaın penitus & abominer: peregrinus ſim, & exul huic mundo,

modo

modo a te DEus non ſim peregrinus: cœleſti tuo me totum impendam amori, complectar te mundo corde Sponſe caſtiſſime. Te dulcis JEſu mei habitatorem ſentiam, neque aliquid demundi hujus & corporis delitiis ſubtrahere difficile mihi videatur aut grave; ſciens multo majores a te mihi paratas in cœlo. JEſu dulcis amor, da te mihi, accipe me tibi, & ſit nomen Majeſtatis tuæ in ſæcula benedictum. Amen.

Poſt ſuperatam quamcunque afflictionem aut tentationem gratiarum actio.

Benedictus Dominus DEus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum; niſi enim Dominus mihi fuiſſet adjutor, paulo minus habitaſſet anima mea in inferno. Sed miſericordiæ Domini quod conſumptus non ſum. Benedic anima mea Dominum, & omnia, quæ intra me ſunt nomini Sancto ejus; neque enim in virtute mea ſuperavi hanc tentationem, ſed in miſerationibus tuis multis, benigniſſime Domine DEus meus. Tranſivi per ignem & aquam, tu eduxiſti me in refrigerium. Vere miſericordia tua magna fuit ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori. Torrentem pertranſivit anima mea, & niſi tu ſuccurriſſes, forſitan pertranſiſſet aquam intollerabilem. Nunc vere tuo auxilio ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium; laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.

Con-

Confirma nunc, obſecro Domine, quod operatus es in me. Quid enim mihi proderit, ſi hodie tua virtute vincam tentantes me hoſtes, cras vero vitio ſuccumbam, & fiant noviſſima pejora prioribus? perfice ergo Domine quod miſericorditer cæpiſti, & uſque ad extremum vitæ meæ nulli tentationi conſentiens, veram tandem, & perpetuam victoriam ac bravium reportem. Amen.

In quovis ſubito periculo.

Oratio.

DEus in adjutorium meum intende †, Domine ad adjuvandum me feſtina. Adjuva nos DEus ſalutaris noſter †, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris.

In manus tuas commendo Spiritum meum †, redemiſti me Domine DEus veritatis. A ſubitanea, & improviſa mala morte liberet nos Pater †, & Filius †, & Spiritus Sanctus †, Amen.

DEus propitius eſto mihi peccatori, & cuſtodi me omnibus diebus vitæ meæ. DEus Abraham, DEus Iſaac, DEus Jacob, miſerere mei, & mitte in adjutorium meum Sanctum Michaelem Archangelum, qui me cuſtodiat, protegat, foveat, viſitet, & defendat ab omnibus inimicis viſibilibus & inviſibilibus, ſpiritualibus, & temporalibus. Sancte Michael Archangele, defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio. Sancte Michael Archangele, per gratiam, quam

meruiſti

meruisti habere, te deprecor, ut eripias me ab universis malis præteritis, præsentibus, & futuris, intercedente etiam gloriosa Virgine Maria cum Societate cœlesti, apud Unigenitum DEI Dominum nostrum JEsum Christum. Sancte Michael, Sancte Gabriel, Sancte Raphael, omnes Sancti Angeli, & Archangeli DEI, succurrite mihi peccatori, precor vos omnes virtutes cœlorum, ut nihil mihi nocere possit, nec in via, nec in aqua, nec in igne, nec in domo, nec extra domum, nec eundo, nec redeundo, nec vigilando, nec dormiendo, nec aliquid aliud faciendo.

Ecce signum Crucis † Domini nostri JEsu Christi, fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda, Radix David, Alleluja. Salvator noster. qui per sanguinem tuum, & Crucem salvasti mundum, salva me hodie, & omnibus diebus vitæ meæ, Sancte DEus, Sancte Fortis, Sancte Immortalis miserere nobis. O! Crux Christi † adjuva me, O! Crux † Christi defende me, O! Crux † Christi ab omni malo libera me, O! Crux † Christi salva me omnibus diebus vitæ meæ. In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus Sancti † Amen.

Contra mortem repentinam

Oratio.

O! Misericordissime Domine JEsu, per lacrymas tuas, per agoniam, & sanguineum sudorem tuum, per mortem tuam rogo te, a subitanea & improvisa mala morte libera me.

O! benigniſſime Domine JEſu, per acerbiſſimam, & ignominioſiſſimam flagellationem ac coronationem tuam, per Crucem, & Paſſionem tuam amariſſimam, per omnem bonitatem tuam humillime te deprecor, ne permittas me ſine Sacramentis morte repentina ex hac vita migrare.

O! mi amantiſſime JEſu, O! Dominus meus, & DEus meus, per omnes labores ac dolores tuos, per pretioſum Sanguinem tuum, per ſacro-ſancta vulnera tua, per illas tuas, O! mi dulciſſime JEſu, ſupremas in Cruce voces: DEus meus, DEus meus, ut quid dereliquiſti me: per validum illum clamorem tuum: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, ardentiſſime rogo, ne ſubito hinc tollas me. Manus tuæ, O! mi Redemptor fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu: ne quæſo, ſic repente præcipites me. Da oro, ſpatium pœnitentiæ, da felicem, & in gratia tua obitum, ut ego te tota mente diligam, laudem, & benedicam in æternum: & benedicent, & laudent te, DEus, creata omnia, in te Domine ſperavi, non confundar in æternum. Unum a te peto, O! bone JEſu, ut me miſerum, ac indignum tuum famulum (quacunque tandem morte mihi moriendum ſit) æternæ damnationi non addicas. Amen.

Pro obtinendo Viatico SS. Euchariſtiæ in extremis, & felici morte efficaciſſima Oratio.

O! Dulciſſime Domine JEſu Chriſte, ob tui ſanctiſſimi Corporis reverentiam, quod ex intacta Virgine Maria ſumpſiſti, concede mihi miſero peccatori, ut corpus tuum pretioſiſſimum animæ meæ finalis ſit refectio. Amen.

Pater noſter. Ave Maria.

O! dulciſſime, amantiſſime, ſuaviſſime Domine JEſu Chriſte, propter nomen tuum ſanctiſſimnm, concede mihi miſero peccatori, ut nomen tuum ſanctiſſimum quod eſt JEſus, ſit mea finalis locutio. Amen.

Pater noſter. Ave Maria.

O! dulciſſime, benigniſſime, clementiſſime Domine JEſu Chriſte, propter Paſſionem tuam acerbiſſimam concede mihi miſero peccatori, ut paſſio tua amariſſima ſit mea finalis paſſio, & cogitatio. Amen.

Pater noſter. Ave Maria.

O! dulciſſime, miſericordiſſime, potentiſſime Domine JEſu Chriſte, propter omnem vitam tuam ſanctiſſimam, concede mihi peccatori miſerrimo omnes affectiones, cogitationes, locutiones, & operationes meas in ſancta vulnera tua, defigere. Amen.

Pater noſter. Ave Maria.

O! dulcissime, piissime, gloriosissime Domine JEsu Christe propter omnem miserationem tuam imprime cordi meo tuam exinanitionem, & omnium vulnerum tuorum passionem. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

Ad Beatissimam Virginem Mariam Sancte Mechtildis pro felici morte tres oratiunculæ devotæ cum singulari promissione.

1.

O! Domina mea Sancta Maria, sicut DEus Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit: ita mihi, quæso, adsis in hora mortis, expellendo a me omnem contrariam potestatem. Ave Maria.

2.

O! Domina mea Sancta Maria, sicut Filius DEI tanta te cognitione & claritate dignatus est, ut totum cœlum illuminares: ita in hora mortis animam meam cognitione fidei sic illustres, & corobores, ut nullo errore, aut ignorantia pervertatur. Ave Maria.

3.

O! Domina mea Sancta Maria, sicut Sanctus Spiritus Suum amorem plene tibi infudit, ita & tu in morte dulcedinem amoris divini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur suavissima. Ave Maria.



I.E. Belling. Cath. ſc. exc, A.V.



Pro obtinenda Unctione extrema.

Oratio.

DEus, qui tuorum corda fidelium inflammasti, ut pretiosum unigeniti tui corpus ad sepulturam reverenter inungerent: da nobis indignis famulis tuis nunquam in vitæ nostræ decursu gratiæ tuæ unguento destitui, atque ante mortem Unctionis extremæ Sacramento muniri. Amen.

Ad Sacram Religionem aspirantis.

Oratio.

Ecce nunc Domine, a te tractus, a te invitatus, crucem in omni humilitate & mortificatione post te ferre præ omnibus mundi hujus delitiis summopere desidero, magis eligens abjectus esse in domo tua Domine, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Vias ergo duras propter te, dilecte mi, aggredi paratus sum, nihilque magis in desiderio mihi est, quam ut jugum tuum suave super me tollam & onus leve suscipiam, id omnino confidens, quod pondus diei & æstus tu mecum portabis, tu labores meos alleviabis, & sperantem in te confundi in æternum non patieris. Aspice ergo super me, DEus misericors, & siquidem ad religiosæ vitæ institutum me vocas, eum mihi, quæso, Ordinem, & locum designa, in quo Religionis Vota accurate serventur, in quo vigeat sincerus tui Cultus, puritas cordis, voluntatis abdicatio, fraterna cha-

ritas, & pax conſcientiæ, quatenus Religionem ingrediens, ad portum mundi hujus tranquillum perveniſſe me agnoſcam, & gaudeam: non autem in graviora labar diſcrimina, dum mundi vitia & naufragia evadere deſidero.

JEſu dulciſſime, da mihi vitam inculpatam, & puram, utque totis viribus ſectier perfectionem, tibique puriſſime ſerviam, ex gratia tua mihi clemens largire, auge vero magis ac magis in me fervens ſerviendi tibi deſiderium, perfice, quod incepiſti, dona, quod promiſiſti. Amen.

Confugium ad B. V. Mariam in Tribulatione.

Quando miſeros nos premit & angit immenſus cordis dolor, metus, aut mæror, nec ullus uſquam patet effugiendi locus, hoc nobis reliquum eſt, præſtantiſſima Regina cœlorum, O! Maria, ut oculos noſtros, & cor noſtrum ad te cum fiducia levemus, quam adjutricem benignam, atque conſolatricem in omni anguſtia invenire ſemper optamus, & ſperamus. Tu namque es omnium peccatorum Advocata apud Filium, & quo quisque ſe ſentit pluribus peccatis irretitum, tanto confidentius ſibi videtur ad te accedere: & quo eſt ſceleratior, tanto majori fiducia ad te, Matrem miſericordiæ properare debet. Tu ſiquidem ſummum poſt DEum reorum ſolamen es, tu maximum peccatorum refugium, tu Regina miſericordiæ, ad quam reſpe

ctant calamitoſorum humeſcentes oculi, cui ſuſpirant omnia ſaucia ac miſera corda. Eja ergo illos tuos miſericordiæ oculos, quos a nullo peccatore, a nullo deſtituto ſolatio, ac deſolato homine avertere unquam potuiſti, a me ſolo non deflectas, ſed ad me, quantumcunque miſerum clementer & ſuaviter eos convertas. Accipe me Mater, in fidem, ac tutelam tuam, ſiquidem conſolatio, & ſpes mea omnis in te ſita eſt; & ſicut innumeros, etiam obduratos, deſperatosque peccatores, qui miſere a DEO ſeparati erant, ad te confugientes benigniſſime excepiſti; & in Filii tui gratiam reſtituiſti, ab omni etiam anguſtia, & neceſſitate liberaſti: ita & me peccatorem, tuum famulum, ad maternæ tuæ pietatis viſcera recurrentem, in ſinu tuo fove dulciter, & ſuſcipe, Filioque tuo me præſenta, & reconcilia, & in te confidentem de omni tribulatione & anguſtia eripe. Exhibe te pro nobis Regina clementiſſima apud dulciſſimum Filium tuum mediatricem, ut ob tui gratiam ipſe cuncta peccata noſtra deleat, conſolationem nobis neceſſariam tempore opportuno infundat, noſque a maculis omnibus expurgatos, & ab omni anguſtia ereptos ſibi per omnia gratos efficiat, & ad vitam tandem perducat æternam.

Amen.

EXERCITIUM ORATIONIS MENTALIS.

Meditatio eſt attenta rerum divinarum, eoque pertinentium inveſtigatio, qua meditans ad DEum colendum, ſive ad virtutem amplectendam, & vitium fugiendum inflammatur. Vel: Meditatio eſt ordinatus & moderatus diſcurſus rationis circa materiam meditandi propoſitam, quo per illius cauſas, effectus, proprietates, circumſtantias &c. nititur rem ipſam, ac veritatem, neceſſitatem, utilitatem, & jucunditatem rei faciendæ, fugiendæ, optandæ, amandæ, voluntati perſuadere, ipſamque ad exercenda ſancta deſideria, pia propoſita, atque opera provocare.

Ante meditationem quædam proxime, quædam remote requiruntur.

1.

Remote requiſita: Vita Sancta, & pura, immunis ab omni peccato mortali, ut ſcilicet quis bene ſancte, & congruenter ſtatui ſuo vivat, ac puritatem conſcientiæ omnibus modis adipiſci conetur, quatenus ab omni peccato mortali, imo etiam veniali graviori liber exiſtens facilius & melius radios divinæ illuminationis percipere poſſit, dignumque ſe reddat, ut cum DEO colloquium (meditatio enim eſt quaſi aliquod colloquium hominis cum DEO) commiſcere valeat.

2. Paſſionum, ac pravarum inclinationum mortificatio, ut nempe paſſiones ſuas, ac inclinationes noſcat, moderetur, & regat, nec nimium exurgere, ac evagari permittat, nam in animum perturbatum, ac ordinatis paſſionibus obrutum, impoſſibile eſt, quod pia, ac ſalubris meditatio introire poſſit, cum illa cor quietum, ac pacatum requirat: hinc diligenter Sodalis attendat, quæ paſſio, vel inclinatio ipſum maxime perturbet, & illam

quan-

quantum poterit evellere ſtudeat, qua expugnata facile etiam alias ſuperabit.

3. Inutilium occupationum, ac vanorum deſideriorum fuga; quid enim magis diſtractum facit hominem, quam occupationes inutiles ſtatui ſuo non convenientes, & vana deſideria? hinc vere dictum: pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. Fugiat itaque inanes [occupationes,] inutilia relinquat opera, vanaſque phantaſias, deſideria, extravagantia, ac fluxuoſos conceptus omnibus viribus declinare contendat.

4. Lectio crebra librorum Spiritualium. Mirum ſæpe eſt, quantum pia, ac devota Lectio cor meditantium accendat; nam ex illa hauriuntur ſalutares inſtructiones, urgentes rationes, ferventes affectus &c.

5. Magnum orationis, ac divinæ communicationis deſiderium. Si hoc in meditante non vigeat, nullus erit in meditationis negotio fructus. Videat mercatores, quanto deſiderio in lucrum non feruntur, cernat opifices, quali non ardent fervore erga ſuum opificium: perluſtret agricolas, quanto illi conatu non ambiunt labores ſuos: certe inter illos, qui affectum & deſiderium erga ſuum negotium non habent, pereunt, & in miſeriis, ac paupertate vitam ſuam tranſigere coguntur. Et te ſine deſiderio & affectu erga meditionem aliquid in illa efficere poſſe putabis? Excita igitur in te magnum meditationis, & divinæ communicationis deſiderium, nam juxta fervorem deſiderii & affectus, ſolet etiam eſſe fervor meditationis.

6. Debiti finis præſtitutio, ut ſcilicet ſibi in hoc opere rectum & debitum finem præfigat, & non ex vana gloria, hominum reſpectu, & conſuetudine illud aſſumat, ſed pure gloriam DEI, ſui abnegationem, morum emendationem, gratiæ, & charitatis incrementum, voluntatis divinæ, & eorum, quæ ad ſtatum ſuum pertinent executionem cum puritate vitæ inquirat.

Requisita ad meditationem proxime.

1.

Pridie Vespertino tempore seligat, materiam meditationis, quam sequenti die est meditaturus, eamque in diversa puncta seu partes juxta diversitatem materiarum distribuat, attendat diligenter, quis affectus, non quicunque, sed qui maxime sibi conveniat, ex quolibet puncto, seu parte elici possit, quem si præviderit, conetur, ut vel sub forma Syllogistica, vel saltem sub virtuali discursu prædictam materiam disponat; sic enim facilius intentum suum obtinebit.

2. Dispostita sic materia illam cordi, seu memoriæ infigat, & post recollectionem, dum vult incumbere, eandem sedulo revolvat, & si potest: ita indormiat.

3. Mane expergefactus statim post suam in manus DEI oblationem, in memoriam revocet materiam meditationis priedie digestam, omnesque alias cogitationes excludat, atque firmiter in animo suo statuat, quod jam cum DEO sit collocuturus.

Oratio hæc omnia complectens.

Omnipotens sempiterne DEus, qui scrutaris renes & corda, ante cujus oculos omnia nuda & aperta sunt, ecce me in ocnspectu tuo sisto, ut tecum ego indignus, & abjectus terræ vermiculus loquar. Doleo, quod unquam te O! summa bonitas offenderim, & utinam magis dolerem: propono firmiter deinceps vitam meam melius emendare; offero tibi omnia mea, tam interiora, quam exteriora, ut cuncta in tuum cedant servitium. Adjuva me Domine, & me miserum peccatorem benignis oculis respice: mitte de sede sancta tua divinæ gratiæ lumen, quo cor

meum

meum illustratum, & accensum te solum DEum perfecte cognoscere, & amare possit.

O! Beata Virgo Maria, Sancte Pater Bernarde, Angele Custos, cœterique Patroni mei orate, & intercedite pro me apud Dominum, ut ope vestra adjutus hocce meditationis exercitium ad laudem & gloriam DEI, ad animæ meæ salutem, cum debita attentione, ac reverentia valeam complere. Amen.

4. Producat breviter meditationis materiam pridie dispositam, prævidensque affectum, quem elicere intendebat, humiliter, & ardenter a DEO petat, ut præstitutum finem suum in meditatione possit consequi.

Quid in ipsa meditatione sit agendum.

1.

His peractis, si dispositio Syllogistica fuerit, primam propositionem aggrediatur, istam diligenter examinet, perpendat, ruminet, causas & rationes sedulo inquirat, quibus voluntas ad salutares affectus moveatur: quod idem faciat in minori, factaque conclusione ad affectus modo infra ponendo procedat. Si vero per puncta fuerit facta distributio, primum punctum similiter persolvat, per causas, & rationes, & si in eodem invenerit, quo gustum suum satiare possit, in eo permaneat, affectumque excitatum, vel per præhabitas rationes, vel per novas adinventas accendat, promoveat, ac confirmet, nec se cruciet, quod ad alia puncta non possit progredi, dum tempus meditationi destinatum interea labitur; nam sat bene meditatus est, si id, quod intendebat, in primo statim puncto fuerit assecutus. Absoluto primo puncto dum tempus super est, procedat ad alia, & simili in iis modo progrediatur.

2. Fontes, unde rationes desumi possunt, sunt: natura rei, effectus, proprietates, definitio, descriptio, ab

exemplo, a ſimili, diſſimili, antecedentibus, conſequentibus, aliaque loca Dialectices, ex quibus deſumuntur argumenta, utilitas, neceſſitas, jucunditas, honeſtas: Item Authoritates divinæ, ut S. Scripturæ, Traditionum Eccleſiæ, SS. Patrum, & cæterorum fide dignorum. In materia hiſtorica etiam poterit has circumſtantias conſiderare. Scilicet: *Quis*, ſeu perſonam, & qualitates perſonæ. *Quid*, ſeu verba, opera, ac ipſos etiam effectus. *Ubi*, quo loco. *Quibus auxiliis*, an ex ſe: an vero ope aliorum, & quorum. *Cur*, ex quo animo, & qua intentione. *Quomodo*, an intenſe, cum fervore, an vero remiſſe cum tepore. *Quando*, quo tempore, quis ejus fructus, & emolumenta: quæ omnia ſufficienter occurrunt ruminanda in Chriſti vita & paſſione, ubi & adde pro quibus paſſus fuerit.

3. Non nimium altos & ſubtiles diſcurſus inquirat: nam illi ſæpe mentem diſtrahunt, ſed intantum diſcurſu utatur, quantum ſufficit ad excitandam & inflammandam voluntatem, & ad pios affectus ac bona propoſita elicienda; nam meditatio non tam in conſideratione intellectus, quam in inflammatione & ardore affectus conſiſtit.

4. Quodſi diſtractum ſe, vel aridum in meditatione repererit, obſiſtat, quantum per DEI gratiam poteſt, nec anhelet ad finem; ſed toto tempore meditationi deſtinato conſtans perſeveret, nec propterea contriſtetur; nam ſæpe id immittit DEus, ut corda noſtra probet, & ut habeamus materiam patientiæ, humilitatis, & perfectæ reſignationis: proinde ſe plene in manus DEI reſignet, & hoc qualecunque ſuum exercitium humili corde DEO offerat, cogitans ſe nihil poſſe niſi divina gratia adjutus. Poteſt etiam obiter inquirere cauſas diſtractionis, & ariditatis, quas ſi deprehenderit, convenientibus mediis ſubmovere.

5. Ubi affectus ſibi convenientes elicere poſſit, advertat prius, in qua via verſetur, & in qua ſe maxime velit exercere: triplex enim hominum juſtorum ſolet aſſig-

nari

nari via. Scilicet; Incipientium, proficientium, & perfectorum. In via incipientium purgamur a peccatis, per contritionem, dolorem, deteſtationem, timorem, agnitionem ſui, humilitatem, ſimilesque affectus. In via proficientium de virtute in virtutem aſcendimus. In via perfectorum per ferventem amorem Deo unimur.

Affectus itaque eliciendi, cum plures ſint, juxtaque has vias elici debeant, conſultiſſimum eſt, ut juxta viam incipientium plurimum eliciantur, ob veram humilitatem, & ſui agnitionem comparandam, ſicut plurimos Sanctorum feciſſe legimus, & temerarium ſit in alto velle verſari, cum adhuc in infimis hæreamus; Beſtia etenim ſi tetigerit montem, labidabitur. Hebr. 12. Poteſt nihilominus cum magna tamen diſcretione ab incipiente ad vias etiam alias aſcendi, maxime dum impulſus Spiritus S. ſentitur.

6. Cum igitur in meditatione potior ratio affectuum habeatur, operæ pretium erit, videre quidnam hi affectus ſint, & qualiter in eadem elici poſſint.

Eſt itaque affectus, quantum ad hanc materiam attinet, pia quædam, & dulcis voluntatis inclinatio, ſive propenſio ad aliquod objectum honeſtum, vel etiam fuga, ſive averſio ab objecto aliquo turpi, vel malo v. g. in Conſideratione bonitatis divinæ, affectus amoris eſt pia quædam voluntatis inclinatio, qua DEum ſummum noſtrum bonum ſuper omnia amamus, & diligimus. Deinde in conſideratione turpitudinis peccati mortalis odium ejuſdem eſt quædam fuga voluntatis, qua peccatum ſuper omnia deteſtabilia fugimus, & odimus.

7. Porro affectus multiplices reperiuntur, fidei, fiduciæ DEI, deſiderii, ſpei, amoris, reſignationis, gratitudinis, gaudii, admirationis, contritionis, confuſionis ob vitæ præteritæ flagitia, odii peccatorum, iræ contra vitia, timoris DEO diſplicendi, Judicii, & inferni, excitationis & fervoris Spiritus, imitationis, compaſſionis, item actus omnium virtutum v. g. humilitatis, patientiæ, obedientiæ, fortitudinis &c.

Fides eſt, qua cum pia voluntatis inclinatione myſteriis a DEO nobis revelatis per intellectum aſſentimur v. g. de myſterio Redemptionis, dum illud quatenus a Deo nobis per Scripturam revelatum, & per Eccleſiam propoſitum eſt, cum pia quadam motione & affectione voluntatis cogoſcimus & credimus.

Fiducia eſt, qua firmiter expectamus, quod Dominus DEus in omnibus neceſſitatibus tum temporalibus tum ſpiritualibus nos juvabit, & in tribulationibus non derelinquet.

Deſiderium, quod alii concupiſcentiam vocant, eſt appetito, ſive motio appetitus boni futuri, & nondum obtenti, ſicut modo deſideramus gloriam cœleſtem.

Spes eſt, qua firmiter ex gratia DEI, meritiſque præcedentibus beatitudinem æternam cum omnibus mediis neceſſariis expectamus.

Amor eſt actualis propenſio in bonum honeſtum abſolute æſtimatum conveniens. Sive eſt quædam actualis complacentia in re amata, ex qua ſequitur, quod rei amatæ bonum velimus, ut eſſe, vivere &c. & quod in nobis ſit idem velle, & nolle, quod eſt in amato, ita v. g. ut voluntas noſtra ſit conformis voluntati divinæ. Eſt autem duplex amor, unus amicitiæ, quo quis inclinatur in bonum honeſtum ut bonum & honeſtum in ſe eſt: Alter concupiſcentiæ, quo quis inclinatur in bonum honeſtum ut utile vel ſibi, vel alteri. Zelus eſt quidam exceſſus amoris & vehemens mentis inclinatio removendi ea, quæ obſtant, & ſunt contraria amato.

Reſignatio eſt, quo anima ſe totaliter reſignat in divinam voluntatem, tam in adverſis, quam proſperis, interius, & exterius, non inquirens, nec deſiderans quidquam extra divinum beneplacitum.

Gratitudo ſive gratiarum actio conſiſtit in eo, ut quis beneficium gratis collatum, agnoſcat, illud magni æſtimet, Benefactori laudem, & gratiarum actionem rependat, & pro facultate ſua re ipſa illud compenſet.

Gau-

Gaudium consistit in hoc, quod cor, vel voluntas se dilatet ex præsentia, vel possessione magni cujusdam boni homini convenientis; quod bonum, vel aliquando est præsens per apprehensionem; vel per apprehensionem cum spe illud consequendi, vel per realem ejus præsentiam & possessionem, ut nobis DEus erit præsens in Patria.

Admiratio est affectus, qui oritur ex cognitione occultarum causarum alicujus effectus, rerum novarum, rararum, nostrumque captum excedentium, & continet in se desiderium cognoscendi melius, ac perfectius rem, quam quis miratur, & spem ejusdem cognoscendæ, simul & inquisitionem & diligentiam ad eam cognoscendam.

Contritio est dolor de peccatis ex amore DEI super omnia dilecti, cum firmo proposito vitam serio emendandi, Deoque pro illatis injuriis proposse satisfaciendi.

Confusio ob vitæ præteritæ flagitia, est quædam erubescentia ex consideratione fæditatis peccatorum orta, salutarem in anima operans compunctionem.

Odium peccatorum, & imperfectionum, est quædam fuga & horror appetitus contra peccata & imperfectiones, & quidquid æstimatur ut noxium.

Ira (cum sit appetitus vindictæ) est, cum contra vitia, & eos, qui nobis eorum causa fuere, movemur, & quasi de iis nos vindicare volumus, mortificationem, & pœnitentiæ opera assumendo.

Timor est quædam voluntatis fuga mali ardui futuri & imminentis: est autem duplex: servilis, & filialis. Servilis est, quando timemus DEum vel ob pœnas temporales, vel ob pœnas æternas, ut inferni &c. vel quia futurus Judex severus, in extremo judicio. Filialis est, quando timemus DEum, ut benignum Patrem, & ut summe in se bonum offendere.

Excitatio seu fervor est, dum quis torpentem in se Spiritum advertens, ad majorem animi fervorem excitat, seque extimulat ad magis in Spiritu, virtutibus, & via perfectionis proficiendum.

Imitatio, quæ licet non unicus ſit affectus, ut pote quæ omnium virtutum actus continet, eſt, dum quis bonum in alio v. g. Chriſto, vel B. Virgine videt, vel conſiderat, illud ſecundum vires ſuas quam perfectiſſime conatur imitari, & in ſe exprimere.

Compaſſio eſt affectus, quo dolorem de dolore alterius, & pœnam de ejus pœna concipimus, eumque in ſuis laboribus, luctu, & lacrymis comitamur. &c.

8. Ad hos affectus digne eliciendos, & continuandos primo neceſſaria eſt fervens, & perſeverans oratio, cum enim affectuoſe meditari, DEI donum ſit, inſtanter idipſum a Domino Deo poſtulandum eſt, ut per illius gratiæ auxilia voluntas in ferventes affectus prorumpat. Quia tamen DEus communiter hocce donum abſque noſtra cooperatione non largitur, ſecundo ex parte noſtra requiritur ut dum quis ſe ad meditandum diſponere incipit, affectum ſive virtutis actum convenientem ex materia meditationis eliciendum præconcipiat, ac præfigat, ejus naturam cognitam ac perfectam habeat, ſicque diſcurſum meditationis formet, ut hic affectus ſive actus per practicam concluſionem vi ratiocinationis intellectus deductam in voluntate excitetur, eliciatur, & pro poſſe continuetur, quod ne incipientibus difficultatem, & horrorem pariat, advertant id duplici modo poſſe practicari.

9. Primo per diſcurſum virtualem, quando videlicet, ita circa materiam intellectus diſcurrit, ut ex tali diſcurſu poſſit ſpecialis aliquis affectus conſequi: cum enim multi artis Syllogiſticæ ignari Syllogiſmos formare non valeant, poterunt hi tum lumine intellectus naturali, tum ſupernaturali divinæ gratiæ luce illuſtrati, ipſam materiam ordinate ante oculos mentis ponere, hanc vel illam primum conſiderando, inſpiciendo, penetrando, quatenus tali modo voluntas eorum in ardentes incitetur, ac inflammetur affectus, prout in diverſis Sanctis factitatum legimus, & videmus. Et quidem hujus rei pulchrum nobis Schema oſtendit S. Auguſtinus *Tract.* 26.

in Joann. dicens: Nuces puero demonſtrantur, & trahitur; dum enim videt puer nuces vel pomum, ac eorum pulchritudinem, ſtatim rapitur in amorem, ac deſiderium, optatque ea ſibi habere: ſimiliter in pictura, dum quis illius partes contemplatur, & delineationes conſiderat, in admirationem erumpit, laudans pictoris peritiam. Eodem modo proponens virtutem, vel illius actum, Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virginis, ac Sancti alicujus exempli gratia humilitatis, quod Chriſtus Dominus in Civitate ſe ſe ita humiliaverit, & abjecerit, infra omnes homines, tanquam viliſſimus terræ vermiculus, format in ſe affectum imitationis in omni re licita ſe ſe infra omnes abjiciendi & vilipendendi.

10. Secundo. Per diſcurſum formalem, quando videlicet materia meditationis ſub forma Syllogiſmi, vel Enthymematis, ſive alterius modi argumentationis diſponitur, & tunc aptiſſime ſequitur affectus, uti patet ex hoc diſcurſu, ex quo affectus amoris eliciendus eſt. Quod eſt fons totius bonitatis, & pulchritudinis, ſummo amore proſequendum eſt: Sed DEus eſt fons totius bonitatis & pulchritudinis: ergo ſummo amore proſequendus eſt. In quo Syllogiſmo examinatis, probatis, & bene diſcuſſis, ac inſpectis duabus propoſitionibus antecedentibus, ut ſuperius dictum, firmum aſſenſum circa concluſionem eliciendo, voluntatem ad affectum amoris incitet, hoc vel ſimili modo: Cum itaque Domine DEus, ſis fons omnis bonitatis & pulchritudinis, in quo omne bonum continetur, quidquid uſpiam reperiri poteſt; a quo etiam omne bonum procedit: Te amo ſuper omnia, tibi toto conatu, toto mentis affectu, tota voluntate adhæreo &c.

11. Ut autem hos affectus continuare, & dilatare poſſit, varii modi pro temporis & materiæ diverſitate ſunt obſervandi, inter quos faciliores quoſdam producam. Primus eſt reſpiciendo ad tempus præſens, præteritum, & futurum: in præſenti cum humili ſui ſubmiſſione, de propriis viribus, diffidentia, & in auxilio DEI,

ac SS. Patronorum confidentia intime defiderare, elicere affectum, virefque interiores perurgendo, eundem defacto exercere. Quo ad præteritum confiderando, an & qualiter ipfum aliquando elicuerit, fi hoc quandoque, & quidem cum fervore præftiterit; fibi in eodem cum fuavi mentis dulcedine complaceat: fin vero nunquam, vel tepide, de tepore, & negligentia fumme doleat, & in futurum, prælhabitum affectum continuare, aut eundem fæpius reiterare cum zelofa mentis follicitudine adlaboret.

12. Secundus eft, difcurfum habitum, fub eadem vel alia convenientiore forma repetere, novos etiam non, nunquam formare difcurfus, ut fic facilius voluntas ad continuationem affectuum corroborari poffit, uti plerumque in meditationibus SS. Patrum eft videre.

13. Tertio Apto & convenienti ordine & modo ad movendum difcurfum proponere, uti cernimus in bonis Oratoribus & Concionatoribus, conantibus alios movere, & mirum eft, quantum hic modus valeat: experimur enim multos re taliter propofita trahi, alios minime, ut recte advertit *S. Auguft.* Unde ficut Oratores diverfa difpofitione, nec non tropis, & figuris utuntur ad movendum, ita quoque meditans ad fe ipfum movendum iisdem uti poterit. Hinc fe ipfum fæpe ad pios affectus in vitabit ad difpofitionis varietatem, videlicet per fua colloquia, materiam in forma colloquii difponendo vel cum DEO, vel cum Chrifto, vel cum Beatiffima Virgine Maria, Angelo Caftode, cæterisque Sanctis: poterit nonnunquam interrogationes, ac exclamationes, mixtis admirationibus, increpationibus, & minis intermifcere, nec non profopopejas, five perfonas loquentes, & agentes introducere, vel ex fermone, vel eorum actionibus, ut appetitus excitari, & confirmari valeat.

14. Sub forma orationis, poftulationis, deprecationis, obfecrationis, gratiarum actionis materiam proponere, ut fæpe facit S. Auguftinus & alii. Eft autem oratio DmeuEm nti s i elevatio, qua mens per pios affectus, fingulari

gulari modo conatur se in DEum elevare. Postulatio est decentium petitio, qua mens rem saluti suæ necessariam, sive beneficium aliquod a DEO postulat, ut in materia meditationis, continuationem, & inflammationem affectus.

Obsecratio, quæ est per sacra contestatio, fit, dum petimus aliquid a DEO, proponendo rationem ductam ex re sacra, ob quam sit impetrandum, quod petitur, ut ex divina bonitate, ex Christi passione, ex meritis Beatissimæ V. Mariæ, & aliorum Sanctorum &c. ut patet in Litaniis, dum oramus: per nativitatem tuam, per Crucem & passionem, & resurrectionem tuam &c. Gratiarum actio est oratio, in qua pro beneficiis acceptis nos gratos exhibemus, maxime pro impetrato affectu, ut sic potiora mereamur accipere.

15. Postquam unum, vel plures ex prædictis affectibus elicuerit, dilataverit, & in eodem parumper immoratus fuerit, tunc ut potest, factum aliquod propositum determinate, & in particulari faciat, quo scilicet, hoc vel istud, illo die ad honorem DEI velit peragere, in hac vel ista re se mortificare, hunc vel istum actum humilitatis, patientiæ &c. exercere.

16. Deinde facta brevi repetitione præcipuorum, quæ in meditatione sunt habita, admodum, quo solet fieri in orationibus, meditationem concludat per fervens colloquium cum DEO vel Sanctis, & se ad pia proposita exequenda fortiter exstimulet. Subjunget etiam si tempus habeat. Pater noster.

Post Meditationem.

I.

Absoluta meditatione, recolligat se breviter, & inspiciat, an servaverit Regulas meditandi præscriptas, & qualiter meditatio successerit? si bene, agat gratias Deo, in aliis eundem modum observaturus: si vero male, inquirat causas, quibus deprehensis doleat, & facto

emendationis propoſito, illas pro viribus impedire conetur, invocetque ad hoc in auxilium B. V. Mariam, & SS. ſuos Patronos.

2. Colligat præcipuos ſuos diſcurſus, & affectus, atque illos in aliqua charta annotet, ſimiliter propoſita, & illa quam primum in effectum prima etiam occaſione oblata, imo & quæſita deducere laboret: ſicut enim probatio dilectionis eſt exhibitio operis, ita effectus meditationis eſt executio propoſitorum.

3. Juvat etiam per diem ſæpe eoſdem in ſe reſuſcitare affectus, quibus excitatus animus alacrius ſe ad propoſitorum executionem exſtimulet: poteſt id fieri per jaculatorias aliquas oratiunculas, quas ſemper in promptu habere conetur.

Meditationes pro omnibus Hebdomadæ Diebus.

In defectu Librorum Meditationis, poſſet ita ordinari, & curari, ne ſaltem per integram Septimanam ex integro exercitium Meditationis omittatur. Tale enim Meditationis ſtudium *ut S. Bernardus* 2. *lib. de Conſid.* ait: Mentem purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat, & ordinat, agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente reſideat, aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc eſt; ſcilicet meditatio, qua in proſperis adverſa præſentit, in adverſis quaſi non ſentit.

Feria Secunda; De Vanitate Mundi vel brevitate temporis.

Feria Tertia: De peccatis, vel de morte, & circumſtantiis ejus.

Feria Quarta: De Judicio univerſali, vel Particulari, vel de æternitate.

Feria Quinta: De pœnis Inferni, & Purgatorii, vel de gloria cœleſti.

Feria

Feria Sexta: De Passione Domini.

Die Sabbathi: De Nomine, Dignitate, & Cultu &c. Magnæ Matris DEI.

Die Dominico: De Beneficio Creationis, Redemptionis, Vocationis, & Prædestinationis.

Alia Methodus conservandi Devotionem, per totam Hebdomadam.

DIE *Dominico* Honoranda specialiter Sanctissima Trinitas recitando: Te DEum laudamus: & novies Gloria Patri &c. Meditandum aliquid ut supra. Commendanda DEO Sancta Ecclesia Catholica, cum omnibus Rectoribus, Fundatoribus, Ecclesiasticis & Religiosis, aliis etiam tuis Benefactoribus in Spiritualibus & temporalibus.

Feria Secunda Venerandi Sancti Angeli, maxime Tutelaris recitando novies: Angele DEI &c. Item: Sancti Angeli Custodes nostri defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo Judicio. Commendandi DEO Parentes, Consanguinei, Affines, Chari, & Noti.

Feria Tertia Invocandi omnes Sancti, maxime SS. Patroni, inter quos poterit esse S. P. Bernardus, S. Joannes Nepomucenus, S. Humbelina, S. Lidvina, S. Barbara &c. Recitando novies; Sancti DEI intercedere dignemini pro nostra, omniumque salute, cum Oratione: Infirmitatem nostram, quæsumus Domine propitius respice, & mala omnia, quæ juste meremur omnium Sanctorum tuorum intercessione averte. Commendandi DEO omnes Sodales Studiosi, maxime Condiscipuli.

Feria Quarta Orandum pro animabus in Purgatorio, maxime iis, quæ desertæ sunt, & in maximis tormentis, recitando novies Psalmum: De profundis &c. Commendandi illis omnes Christiani, maxime populares, & necessitatem patientes.

Feria Quinta Honorandum Venerabile Sacramentum adorando illud frequenter, & etiam centies dicen-

do: Laudetur SS. Sacramentum, Commendandi Deo omnes infirmi, ne absque Viatico decedant.

Feria Sexta Honoranda Passio Dominica recitando novies Orationem: Domine JEsu Christe per illam amaritudinem, quam sustinuisti pro me in Cruce, maxime illa hora, quando anima tua benedicta egressa est de corpore tuo miserere animæ meæ in egressu suo. Commendandi DEO inimici, Pagani, Schismatici, Hæretici & mali Catholici pro conversione.

Die Sabbathi Honoranda Beatissima Virgo Maria, recitando novies Ave Maria ultra pensum ordinarium, &c.: Per Sanctam Virginitatem & Immaculatam Conceptionem tuam piissima Virgo Maria emunda cor, carnem, & animam meam. In nomine Patris &c. Item recolenda ipsius singularia Privilegia: 1. Maternitas DEI. 2. B. Immaculata Conceptio. 3. Illibata ipsius Virginitas. 4. Reginæ Angelorum. 5. Patriarcharum. 6. Prophetarum. 7. Apostolorum. 8. Martyrum. 9. Confessorum. 10. Doctorum. 11. Virginum. 12. Cœli & terræ. Commendanda ipsi vita, mors, corpus, anima, æternitas.

EXERCITIUM VESPERTINUM.

Seu Examinis Conscientiæ.

Examen Conscientiæ duplex est. Universale, seu Generale, & Particulare. Ut enim Generale versatur circa omnes humanas actinoes, ita Particulare circa unam, alteramve rem, sive virtutem, sive peccatum. Examen Particulare requirit. *Quatuor*, scilicet: Propositum, Curam, Discussionem & Collationem. Volens ergo Juvenis Studiosus & Sodalis, vitæ Spiritualis facere prfoectum per Examen Particulare, quod alioquin omni Christiano utilissimum est, debet noscere suum statum, suos defectus, suas malas inclinationes &c. a quo

etiam

etiam vitio maxime impugnetur, & a qua virtute summe elongetur. Si itaque vitium aliquod impugnare vel virtutem implantare constituit, labor hic, & pugna per dies, hebdomadas, & menses continuanda erit, usquedum exstirpato vitio, vel implantata virtute victor existat sui ipsius.

1. Mane igitur Propositum firmum cum fiducia divini auxilii faciendum est, sive de virtute acquiranda, sive de vitio exstirpando, prouti sibi quis magis necessarium judicaverit.

2. Propositum sequitur Cura hujus Propositi, quæ in nullo alio consistit, quam in continua memoria illius propositi, per totum quidem diem, & in omnibus, & singulis actionibus, non aliter, quam quidam negotiator, qui operam omnem impendit, ne minima eum transeat lucrandi occasio.

3. Propositum & Curam sequitur Discussio, sive examen Particulare, quo inquiritur: an propositum illud mane conceptum custodieris? an omnino vitium illud declinaveris? an virtutem illam exercueris &c. &c. Si non inquire, Cur? an voluntarie? an ex fragilitate? &c. Si itaque deprehenderis, quod propositum non servaveris, dole de lapsu, & negligentia, percute pectus, propone generosius &c. Si vero observasti, DEO gratias age, & pro perseverantia roga.

4. Collatio in hoc consistit, ut quis defectus in secunda sui discussione repertos, cum defectibus primæ discussionis conferat, ut culpas unius diei, cum culpis præcedentis diei comparet, & unam hebdomadam respectu alterius respiciat: an fiat melior, vel pejor. Taliterque se continuo excitet ad profectum, ad amorem virtutis, & ad odium peccati. Et hæc brevissime de examine Particulari, quod maximæ utilitatis est, ut in praxi patebit.

Examen Conſcientiæ Generale quinque partes continet, his duobus expreſſas metris:

Solve DEO grates, pete lumen, diſcute mentem,
Delicti veniam poſce, recide malum.

I.

In primo puncto DEO gratias agendo. Conjice te in vulnus manus dexteræ Chriſti Domini Sacratiſſimum, ibidemque ſcrutare, & expende omnia beneficia hodie tibi data tanquam a benigniſſima manu: quæ beneficia eſſe poterunt tam naturalia, quam ſupernaturalia.

2. In Secundo gratiam pete, qua illuminatus poſſis advertere ſingula opera totius diei, quod facile fiet, ſi per diem bis, vel ter, examen particulare inſtituiſti, conjiciendo te in vulnus SS. manus Siniſtræ, in qua omnia tua ſiniſtra & mala facta deprehendas.

3. In Tertio examen inſtitue de hora in horam, de opere ad opus, quid feceris? hic maxime ſerviet examen particulare, ſi v. g. his per diem feciſti, v. g. ante prandium unum, & alterum ante cœnam, in quibus deprehendiſti, quid male feceris. Reliquum tempus a cœna uſque ad hoc momentum ſcrutando percurres, conjiciendo te in vulnus SS. Pedis dextri, ibi te examinabis de omnibus actionibus totius diei, de malis commiſſis, de bonis omiſſis & neglectis.

4. In Quarto in SS. vulnus Pedis ſiniſtri te conjice, ibidemque deprecando humiliter tuas culpas, tam commiſſa, quam omiſſa eliciendo actus v. g. confuſionis ſui, ſuam inconſtantiam, & levitatem animi arguendo: Item actus contritionis, quantum poſſibile, ita quidem, ut quantum in te eſt, confidere poſſes, ſi hac nocte tibi ex hoc mundo migrandum foret, tibi ſecundum ſpem & miſericordiam DEI felix æternitas obventura eſſet.

5. Tan-

5. Tandem in Quinto conjice te in vulnus SS. Lateris Christi JEsu, tanquam in quodam scaturiginis balneo, ab omnibus sordibus abluendus, obfirmando animum efficaci proposito imposterum ferventius DEO serviendi, & ab omni peccato etiam veniali deliberato abstinendi.

In primo Puncto ita gratias Domino DEO ages.

Gratias ago summæ & ineffabili bonitati tuæ misericordiarum Pater, & DEus totius consolationis, ob infinitam summorum bonorum multitudinem, quæ mihi homini vilissimo confers: Imprimis vero, quod me ad imaginem & similitudinem tuam creaveris, pretiosissimo sanguine unigeniti Filii tui redemeris, in Ecclesiæ S. tuæ gremium, & ad Fidem Catholicam adsciveris, bonorumque æternorum mihi spem adjeceris. Deinde, quod me toties peccantem clementer respexeris, glorioso corpore & sanguine pretioso Filii tui cibaveris, atque die hodierno jam exacto a corporis & animæ periculis custodieris, omniaque conditioni meæ utilia, & necessaria mihi subministraveris. Et denique Angeli Custodis mei tutela & patrocinio me protegere dignatus fueris: Si quod ego pium opus feci, id tuum esse munus & gratiam agnosco; qualecunque tandem illud sit, cum meritis Domini nostri JEsu Christi, & omnium Sanctorum, quæ una ego tibi offero, illud acceptare, virtutisque defectum supplere digneris.

In secundo Puncto ita lumen a DEO petes.

Illumina quæso Domine meum intellectum, ut videam, & cognoscam, quidquid hodie cogitando, loquendo, vel operando peccavi. Et precor te per passionem & mortem tuam, ut illud digneris mihi homini peccatori clementer ignoscere.

In tertio Puncto ita Conscientiam discuties.

Circa Cogitationes.

Utrum fuerint

Otiosæ. Invidiosæ.
Vanæ. Iracundæ.
Superbæ. Suspiciosæ.
Impuræ. Temerariæ.
Gulosæ. Fraudulentæ.
Accediosæ. Scrupulosæ.

Circa Verba.

Utrum fuerint

Otiosa. Contumeliosa.
Inconsiderata. Detractoria.
Superba. Mendatia.
Mordatia. Simulata.
Inverecunda. Adulatoria.
Impudica. Affectata.
Iracunda? Vana? &c.

Circa Opera.

Utrum fuerint

Otiosa ad nullum finem directa?
Vana, in gratiam hominum tantum facta?
In ordinata in finem minus decentem, nec debito loco, modo, tempore, facta?
Perfunctoria absque attentione & devotione?
Immorigera contra præcepta DEI, Ecclesiæ, contra debitum officii tui, & remorsum conscientiæ?
Accediosa cum languore animi & tædio peracta?

Super-

Utrum fuerint

Superflua, privati commodi, voluptatis & sensualitatis ergo facta?
Dicta non recta, sed tecta, & falsa intentione?
Temeraria, proprio judicio facta citra consilium & directionem majorum.
Omissa per ignaviam & socordiam neglecta, cum interim ea tenebaris Domino DEO tuo, tibi ipsi, proximo præstare?

In quarto Puncto ita contereris.

O! Pater amantissime, quem amo super omnia! ecce hæc reddidi mala pro tot bonis. Doleo ex toto corde meo, & intimis medullis, quod toties infinitam tuam bonitatem offenderim. Ignosce indignissimo mihi, O! omne bonum meum. Parce benignissime JEsu, his, & omnibus occultis peccatis meis per gemitus tuos, & lacrymas, per spinas & flagra, per Crucem & vulnera, & per omnes miserias tuas obsecro. Pro Satisfactione commissorum defectuum, offero tibi infinita merita tua, quorum nos fecisti participes & una omnia opera mea, omnem vitam & mortem meam, & nunc hoc N. facio.

In quinto Puncto Propositum emendationis elicies, & gratiam peres.

Verum iterumne peccabo? corpus & animam, Christi vulnera, & Sanguinem, Cœlum, & omnia bona ob rem nihili prodigam? Non faciam meritis tuis fultus & gratia. Persequar inimicos meos, vitia, & defectus meos, & cadent subdus pedes meos. O! succurrite omnes cælilites peccatrici huic animæ, tu imprimis Miseri-

cordiæ

cordiæ Mater, quæ nullum derelinquis, tuque Angele mi Custos, & cæteri Patroni mei, coram quibus propono hœc peccata N. N. emendare, tales peccandi occasiones subterfugere N.

In fine ter Pater & Ave & semel Ps. De profundis pro defunctis.

PRAXIS EXERCITII VESPERTINI

I.

Priusquam te ad Somnum, quietemque honestam componas, post examen Conscientiæ perfectum, actum puræ ac simplicis intentionis coram DEO elicies, Somnumque tuum cum Christi Domini Somno unies &c. dicens:

O! Domine nocturnam hanc quietem in unione illius Somni, quo Salvator noster in terris subinde usus est, offero tuæ divinæ Majestati, da obsecro, ut hac moderata quiete ita reficiar, ut viribus resumptis tibi imposterum alacrius serviam, proque tua gloria, & mea salute ferventius laborem. Credo tibi O! DEus meus, & omne bonum meum, confido in te O! spes unica! & te toto corde diligo, & tibi sincere totis viribus meis servire statuo.

Custodi nos Domine, ut pupillam oculi.

Sub umbra alarum tuarum protege nos,

Dignare Domine nocte ista sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

℣. Do-

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Visita quæsumus Domine habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longe repelle Angeli tui Sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum nostrum &c.

Te lucis ante terminum,
Rerum Creator poscimus,
Ut solita Clementia,
Sis Præsul, ad custodiam.
Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata,
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.
Præsta Pater omnipotens
Per JEsum Christum Dominum
Qui tecum in perpetuum
Regnat cum Sancto Spiritu. Amen.

Oratio ad JESUM.

O! JEsu mi dulcissime,
JEsu Rex amantissime,
Tu mecum, quæso maneas,
Hac nocte mecum dormias.
Ut corpus somnum capiat,
Et numquam cor obdormiat,
Præsentem absens videat,
Et malum omne caveat.

Me Angelus custodiat,
Et Crucis signo muniat,
Hinc Sathan procul fugiat,
Et JEsus solus maneat.

Quos amo tecum colligas,
In lecto cordis foveas,
Nec me, nec ipsos deseras,
Sed benedicens protegas,
Et in æternum custodias. Amen.

Oratio ad B. Virginem Mariam.

O! Maria DEI Genitrix, Virgo gloriosa, omnium desolatorum ad te clamantium Consolatrix vera per illud magnum gaudium, quo consolata es, quando cognovisti Dominum JEsum die tertia a mortuis impassibilem resurrexisse. Sis Consolatrix animæ meæ, & apud eundem tuum, & DEI natum Unigenitum in die novissimo, quando cum anima & corpore ero resurrecturus, & de singulis meis factis rationem redditurus, me digneris juvare, ut perpetuæ damnationis sententiam, per te, pia Mater, & Virgo, valeam evadere, & cum electis DEI omnibus ad æterna gaudia feliciter pervenire.

O! Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege, & hora mortis
suscipe. Amen.

O! Sancte Angele DEI, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna hac nocte illumina, custodi, rege & guberna. Amen.

Adeste

Ave MARIA gratia plena, Dominus tecum. Luc. 1.



C. P. S. C. M. Klauber Cath. Sc. et exc. A. V.



Adeſte univerſi Regni cœleſtis exercitus, voſque imprimis amantiſſimi Patroni mei. Sancte Bernarde, Sancte Joannes Nepomucene, Sancte N. N. Sancta Humbelina, Sancta Lydvina, St. Barbara, Sancta N. N. veſtra me tutela circumvallate, ut non accedat ad me malum, & flagellum non appropinguet tabernaculo meo. Amen.

Orationem concludes breviſſimo Pſalmo: Laudate Dominum omnes gentes &c.

2. *Oratione finita exues veſtimenta honeſte, modeſte, eaque ordinate compones, & interim invitabis SS. Angelos, & creaturas omnes, ut dum tu quieſcis, pro te illo DEum laudent, & glorificent.*

3. *Exutus dum lectum aperis, cogitabis Sepulchrum, ac fore, ut brevi illud intres alteram in æternitate ſortiturus vitam. Et cogita, ſi ita nunc foret, quid ſupereſſet ex vanitate, quid ex Sancta converſatione? Accepta deinde aqua benedicta aſperges primum te, ac deinde lectum. Benedictionem a Chriſto Domino poſtulabis dicens:*

In Nomine Domini noſtri JEſu Chriſti crucifixi cubitum eo, ille me benedicat, regat, cuſtodiat, & ad vitam perducat æternam. Amen.

Deinde lectum S. Cruce ſignans ſubdes: Per ſignum Crucis de inimicis noſtris libera nos DEus noſter. *Te quoque devote eodem ſigno in fronte, ore, & pectore, muniens lectum ingredieris, in fronte exarans* J. N. R. J. *Ac tandem tangens frontem:* JEſus, Maria, Joſeph ſit in fronte. *Os.* JEſus, Maria, Joſeph ſit in ore. *Pectus*, JEſus, Maria, Joſeph ſit in corde. *Signans tandem triplici ſigno S. Crucis Latus ſiniſtrum, addes.* Per

Per Sanctam Virginitatem, & Immaculatam Conceptionem tuam purissima Virgo Maria emunda cor, carnem, & animam meam in Nomine Patris &c.

Ad quiescendum te componens memor sis moniti S. Bonaventuræ: Honeste, inquit, & composite jaceas, in dextro, vel sinistro latere, nunquam tamen supinus, vel aliter inhonestus. Nunquam dormias manibus in sinu positis, nec cruribus elevatis, vel discoopertus, sed semper teneas tunicam, vel indusium inter crura, ut nullus inveniat te inhoneste jacentem. Nec crebro te vertas, sed quiete & pacifice jaceas memor Christi in Cruce pendentis, qui in patibulo non in molli lecto dormiens obdormivit. S. Bernardus pariter monet: Iturus ad Somnum semper aliquid defer tecum in memoria, vel cogitatione, in quo placide obdormias, quod nonnunquam etiam somniare juvet, quod etiam evigilantem te excipiens, in statum hesternæ Intentionis restituat, sic tibi nox, sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio tua erit in deliciis. Placide obdormies, in pace quiesces, facile evigilabis, & surgens facilis, & agilis eris ad redeundum in id, unde non totus discessisti.

Ultimum vero verbum vel cogitatio sit: JEsus, Maria, Joseph.

EXERCITIUM INFIRMORUM.

Nulla major exercendæ charitatis vel sibi, vel aliis, imposita est Christiano homini necessitas, quam in gravi aliqua infirmitate corporis, ut animæ bene & mature consulatur.

1. Pri-

1. Prima ergo cura versari debet circa animæ statum, ut scilicet ægrotus toto corde se convertat ad DEum, agnoscatque immissum morbum, tanquam salutare quoddam pharmacum contra peccata omnia præteritæ vitæ, tanquam Symbolum aliquod mortis aliquando subeundæ, signum fragilitatis humanæ &c. propterea patienter, & libenter Donum DEI, non sine gratiarum actione accipiendum. Habeat ergo ægrotus curam magnam instituendæ integræ Confessionis: cogitet, num facienda aliqua vel famæ, vel pecuniarum, vel aliarum rerum restitutio; num reconciliandus sit abs se læsus, & id genus alia ad salutem pertinentia expendat. Quibus peractis præparet se ad digne sumendum Venerabile Sacramentum cum summa humilitate, Fide, Spe, & Dilectione.

2. Secunda Cura est, ut si ingravescit morbus, & periculum aliquod vitæ deserendæ immineat: curentur mature ea, quæ ad corporis, & bonorum dispositionem spectant; hæc enim omnia ad salutem & quietem animæ faciunt. Itaque, (si conjugatus sit) uxori, liberis, consanguineis, & iis, quorum curam suscepit, familiæque suæ provideat, eaque expediat, quæ ad officium suum, vel administrationem pertinent. Deinde cogitet, quæ ad Sepulturam, vel Exequias spectant, ut ea omnia absque pompa ad decentem moderationem revocentur. Tum vero de bonis disponat (si ante non fecerit) per justum, & pium testamentum.

Si præter bona, quæ Creditotibus debentur, suppetat facultas ad faciendum aliqua pia legata, non desit infirmus officio suo, quandoquidem ea conferant ad majorem Satisfactionem pro pœnis, & majus meritum beatitudinis, si modo referantur ad bonum finem, ad DEI gloriam, & proximorum salutem, non in aliquam vanam sui memoriam. Ea porro legata imprimis ægroto cordi sint, quæ sunt majoris charitatis, quæque ad proximos juvandos videntur magis opportuna. Videlicet:

Quæ ſpectant ad animarum in Purgatorio ſubventionem.

Vel, ad Religioſorum, paupertatem patientium ſubſidium.

Vel, ad pauperum, qui honeſte mendicare non poſſunt, auxilium.

Vel, ad Studioſorum egentium levandam penuriam.

Vel ad Captivorum Redemptionem.

Vel ad pauperum puellarum dotationem.

Vel ad orphanorum, Viduarumque ſuſtentationem.

Vel ad pauperum propter debita carceribus incluſorum, liberationem.

Vel denique ad libellorum piorum ac ſpiritualium diſſeminationem, ad hoſpitalium, aliorumque piorum locorum aut operum ſublevationem ſpectant.

2. Curandum ſerio & diligenter, ut ſacræ Unctionis Sacramento muniatur infirmus, idque mature fiat, priusquam in delirium, vel ſenſuum hebetudinem incidat.

3. Præterea debet præ cæteris juvari infirmus in his, quæ pertinent ad exercitationem fidei, ſpei, charitatis, virtutisque patientiæ.

Subinde ergo illi recitandum Symbolum, repetendaque fidei ſuæ proteſtatio.

Excitandus etiam erit in ſpem maximam divinæ miſericordiæ.

Sed & inflammandus ad charitatem, ut DEum ſuper omnia amet, illi ſe ſe totum donet, & permittat, ſuamque omnem voluntatem cum divina conformet, corpus & animam in manus ejus reſignet &c.

4. Et quidquid eſt in morbo doloris vel pœnarum, generoſe, fortiter, & patienter ſuſtineat, nihil per impatientiam dicat, aut faciat, ne meritum patientiæ, quod eſt maximum, perdat: ſed potius cum gratiarum actione dolores omnes, tanquam flagellum quoddam paternum excipiat ad præteritarum culparum ſatisfactionem, majoremque gloriæ ſuæ coronam.

Nec

Nec omittat virtutem obedientiæ exercere (in qua & cum qua inclinato capite Christus mortuus est) tum erga Medicos corporales, & eos, qui illi adsunt, juvant, & curant, tum erga spirituales Medicos, quorum dicto in omnibus auscultet.

5. Sed & ægrotus oculos suos in effigiem Christi Crucifixi, quæ semper debebit illi esse proposita, convertat, ab ea patientiæ, & cœterarum virtutum perseverantiam imploret, felicemque egressum ex hoc mundo merito passionis ejus impetret. Invocet etiam crebro B. Virginem Mariam in auxilium recitando sæpius Versiculum: Maria Mater gratiæ &c. Invocet quoque S. Michaelem Archangelum, Angelum Custodem, Sanctum suum Patronum, & alios, in quibus devotionem habere est solitus, & demum Sanctos omnes, ut intercedant pro eo, eumque adjuvent suis suffragiis & meritis. Habeat & aquam lustralem, qua aspergatur, & cœtera precum adminicula, quibus excitetur.

Quæ Agonizantem juvent:

1. Agonizantem juvant, imprimis Oratio Sacerdotis.
2. Orationes aliorum præsentium.
3. Eleemosinæ, vota, jejunia, afflictiones, & Missarum præcipue Sacrificia, quibus omnibus petatur, ut Dominus infirmo sit propitius, vel ei restituere dignetur sanitatem, si ad melius serviendum ei expedit: vel si ex hoc sæculo transferre in aliud volet, ipsum bene disponat ad æternæ felicitatis consecutionem.
4. Aqua benedicta, cereus sacer, imago Crucifixi.
5. Commendatio animæ secundum communem Ecclesiæ ritum.
6. Remotio ab Agonizantis aspectu eorum omnium, quæ bonam ejus præparationem ad moriendum impedire possunt, ut esse solent persæpe Filii, uxor, qui potius humanos affectus, quam spirituales provocarent: secus si essent spirituales, & ad juvandum infirmum idonei crederentur. Sed & tempore morbi non debet per-

mitti, ut Amici Consanguinei, & Affines cum infirmo de rebus hujus mundi agant, quando potissimum testamentum, voluntatemque suam ultimam constituit & declaravit.

Cum primum ægrotus expiravit.

Recitandus Psalmus: Miserere, & De profundis, *quibus finitis:* Kyrie eleison &c. Pater noster &c.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animam ejus.

℣. Credo videre bona Domini.

℟. In terra viventium.

℣. Ne tradas Domine bestiis animam confitentem tibi.

℟. Et animam pauperis tui ne obliviscaris in finem.

℣. Requiem æternam dona ei Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Commendamus tibi Domine animam Famuli tui N. ut defunctus sæculo tibi vivat, & quæ per fragilitatem humanæ conversationis admisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum &c.

Omnipotens sempiterne DEus, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur, propitiare animæ Famuli tui N. ut qui de hac vita in tui nominis confessione discessit Sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per Dominum &c.

Mun-

Mundi fallaciam ac vanitatem B. Jacobonus Tudertinus egregie lusit his Rythmis, dignissimis qui ab omnibus diligenter expendantur.

Cur mundus militat sub vana gloria,
Cujus prosperitas est transitoria?
Tam cito labitur ejus potentia,
Quam vasa figuli, quæ sunt fragilia.

Plus crede litteris scriptis in glacie,
Quam mundi fragilis vanæ fallaciæ,
Fallax in prœmiis virtutis specie,
Qui nunquam habuit tempus fiduciæ.

Credendum magis est viris fallacibus,
Quam mundi miseris prosperitatibus,
Falsis insaniis, & vanitatibus,
Falsisque studiis, & voluptatibus.

Dic ubi Salomon olim tam nobilis
Vel ubi Samson est Dux invincibilis?
Vel pulcher Absolon vultu mirabilis?
Vel dulcis Jonathas multum amabilis?

Quo Cæsar abiit celsus imperio?
Vel dives Epulo totus in prandio?
Dic ubi Tullius clarus eloquio?
Vel Aristoteles summus ingenio?

Tot clari Proceres, tot rerum spatia,
Tot ora Præsulum, tot Regna fortia,
Tot mundi Principes, tanta potentia
In ictu oculi clauduntur omnia.

Quam breve festum est hæc mundi gloria,
Ut umbra hominis sunt ejus gaudia,
Quæ semper subtrahunt æterna prœmia,
Et ducunt hominem ad dura devia.

O! esca vermium, O! massa pulveris,
O! nox, O! vanitas, cur sic extolleris?
Ignorans penitus utrum cras vixeris;
Fac bonum omnibus quam diu poteris.

Hæc carnis gloria quæ tanti penditur,
Sacris in literis flos fœni dicitur,
Vel leve folium, quod vento rapitur,
Sic vita hominis e mundo tollitur.

Nil tuum dixeris, quod potes perdere,
Quod mundus tribuit, intendit rapere:
Superna cogita, cor sit in æthere,
Felix qui potuit mundum contemnere.

EXERCITIUM
JUVANDI ANIMAS IN PURGATORIO.

Contra Lutheranos & Calvinistas Ecclesia Catholica astruit dari Purgatorium, & probat quatuor potissimum Argumentis. *Primum* sumitur ex suffragiis viventium pro mortuis. *Alterum* ex eo, quod remissa culpa mortali, non semper remittatur tota pœna illi debita. *Tertium* ex eo, quod justi aliquando moriantur cum peccatis venialibus. *Quartum* ex scriptura & SS. Patribus. Animæ autem Justorum existentium in Purgatorio duplici pœna afficiuntur. Una Damni, altera Sensus. Pœna Damni in eo consistit, quod debeant carere

cœlesti gloria, donec omnino purgatæ sint. Et quia hæc dilatio contingit illis propter propriam ipsorum culpam, ideo dolent, ac tristantur, se sua culpa tam diu excludi a statu Beatorum. Pœna Sensus in eo consistit, quod patiantur aliquem cruciatum ab igne Purgatorii, qui acerbior est, quam ulla calamitas, aut tribulatio hujus vitæ Manent autem in illa pœna nisi aliunde juventur, donec perfecte expiatæ sint per sufficientem passionem, quæ sit proportionata reatui pœnæ temporalis, cui obnoxiæ sunt. Uude sicut aliæ cum majori reatu pœnæ temporalis, aliæ cum minori veniunt ad illum locum, sic aliæ citius, aliæ tardius inde liberantur. Possunt vero juvari per suffragia viventium, ut citius liberentur ex illa pœna, quam alioquin liberarentur, si suffragia pro illis non fierent. Sunt autem tria genera suffragiorum. *Primo*: Sacrificium Missæ. *Secundo*: Oratio, ut est impetratoria. *Tertio*: Opera quælibet pœnalia, & satisfactoria, puta Eleemosinæ, peregrinationes, jejunia, templorum Erectiones, & similia. Sub ultimo autem membro comprehenduntur Indulgentiæ, quæ nihil sunt aliud, quam applicationes satisfactionum, factæ defunctis.

Anniversaria vero, sunt Officia, quæ quot donis die Anniversaria pro defunctorum animabus in Ecclesia persolvuntur, quorum uti antiquissimus, ita & frequentissimus est usus: Anniversarium enim est memoria pia, quæ pro Missis annuatim celebrandis, vel Eleemosinis largiendis, aut operibus aliis religiosis ingratiam defunctorum peragendis a fidelibus relinquitur, & præstatur.

Qui tardi, & negligentes, & duri sunt ad succurrendum defunctis, sciant, quoniam qua mensura metientur, iis quoque remetietur. *Ait S. Dionysius Canusianus.*

OFFICIUM. DEFUNCTORUM.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Regem cui omnia vivunt * *Venite adoremus repetitur.*

Venite exultemus Domino: jubilemus Deo salutari noſtro: præoccupemus faciem ejus in confeſſione: & in pſalmis jubilemus ei. Regem cui omnia &c.

Quoniam DEus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos: quoniam non repellet Dominus plebem ſuam, quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit. Venite adoremus.

Qdoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam ſundaverunt manus ejus: venite adoremus, & procidamus ante DEum: ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus DEus noſter: nos autem populus ejus, & oves paſcuæ ejus. Regem, cui omnia &c.

Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto: ubi tentaverunt me patres veſtri, probaverunt, & viderunt opera mea. Venite adoremus.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi: ſemper hi errant corde: ipſi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.





S. CORNELIUS PAP: et MART: singularis contra Epilepsia Patronus, cujus S.S. Reliquiæ et Caput in Lib: et Imper: Abbatia S. Cornelij = Monasteriensi pro= pe Aquis granum asservantur.

C.P.S.C.M. 298. M. Engelbrecht exc. A.V.

Regem cui omnia &c.

Requiem æternam dona eis Domine; & lux perpetua luceat eis. Venite adoremus Regem, cui omnia vivunt: * Venite adoremus.

In primo Nocturno.

Pro feria II. & V.

Antiph. Dirige. *Psalm.* 5.

Verba mea auribus percipe Domine: * intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ: * Rex meus & DEus meus.

Quoniam ad te orabo: * Domine mane exaudies vocem meam.

Mane adstabo tibi, & videbo, * quoniam non DEus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus: * neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: * perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus: * ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam: adorabo ad templum Sanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in justitia tua: * propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas, * cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum? linguis suis dolose agebant; * judica illos DEus.

Decidant a cogitationibus suis? secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, * quoniam irritaverunt te Domine.

Et lætentur omnes, qui sperant in te, * in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices justo.

Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ, * coronasti nos.

Requiem æternam &c.

Antiph. Dirige Domine DEus meus in conspectu tuo viam meam.

Antiph. Convertere. *Psalm.* 6.

Domine ne in furore tuo arguas me, * neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: * sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: * sed tu Domine usquequo?

Convertere Domine, & eripe animam meam: * salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: * in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo? lavabo per singulas noctes lectum meum: * lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: * quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exau-

Exaudivit Dominus deprecationem meam: * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: * convertantur, & erubescant valde velociter.

Requiem æternam &c.

Antiph. Convertere Domine, & eripe animam meam, quoniam non est in morte, qui memor sit tui.

Antiph. Ne quando. *Psalm.* 7.

Domine DEus meus in te speravi: * salvum me fac ex omnibus persequrntibus me, & libera me.

Ne quando rapiat ut Leo animam meam: * dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

Domine DEus meus si feci istud: * si est iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus mihi mala: * decidam merito ab inimicis meis inanis.

Persequatur inimicus animam meam? * & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam: * & gloriam meam in pulverem deducat.

Exurge Domine in ira tua: * & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge Domine DEus meus in præcepto, quod mandasti: * & Synagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere: * Dominus judicat populos.

Judica me Domine secundum justitiam meam: * & secundum innocentiam meam super me.

Con-

Consumetur nequitia peccatorum, & diriges justum: * scrutans corda & renes DEus.

Justum adjutorium meum a Domino: * qui salvos facit rectos corde.

DEus judex justus, fortis, & patiens: * nunquid irascitur per singulos dies?

Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: * arcum suum tetendit, & paravit illum.

Et in eo paravit vasa mortis: * sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturiit injustitiam: * concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, & effodit eum: * & incidit in foveam quam fecit.

Convertetur dolor ejus in caput ejus: * & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Confitebor Domino secundum justitiam ejus: * & psallam nomini Domini Altissimi.

Requiem æternam &c.

Antiph. Ne quando rapiat ut Leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animas eorum.

Pater noster. *Secreto.*

Lectio I. *Job. 7.*

Parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? visitas eum diluculo, & subito probas illum. Usquequo non parcis

parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam ſalivam meam? Peccavi, quid faciam tibi O! Cuſtos hominum? Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimet ipſi gravis? Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormiam; & ſi mane me quæſieris, non ſubſiſtam.

℟. Credo quod Redemptor meus vivit: & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum: * & in carne mea videbo DEum Salvatorem meum.

℣. Quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt. Et in carne &c.

Lectio II.

Tædet animam meam vitæ meæ, dimittam adverſum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ. Dicam DEO: noli me condemnare. Indica mihi, cur me ita judices? Nunquid bonum tibi videtur, ſi calumnieris me, & oprimas me opus manuum tuarum, & conſilium impiorum adjuves? Nunquid oculi carnei tibi ſunt: aut ſicut videt homo, & tu videbis? Nunpuid dies hominis', dies tui, & anni tui ſicut humana ſunt tempora, jut quæras iniquitatem meam, & peccatum meum ſcruteris? Et ſcias, quia nihil impium fecerim, cum ſi nemo qui de manu tua poſſit eruere.

℟. Qui Lazarum reſuſcitaſti a monumento fœtidum: * Tu eis Domine dona Requiem, & locum Indulgentiæ.

℣. Qui

℣. Qui venturus es judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. Tu eis &c.

Lectio III. *Job. 10.*

Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu: & sic repente præcipitas me? Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle, & carnibus vestisti me: ossibus & nervis compegisti me. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodivit Spiritum meum.

℟. Domine, quando veneris judicare terram, ubi me abscondam a vultu iræ tuæ? * Quia peccavi nimis in vita mea.

℣. Commissa mea pavesco, & ante te erubesco, dum veneris judicare, noli me condemnare. * Quia peccavi nimis in vitamea.

℣. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. * Quia peccavi nimis in vita mea.

In secundo Nocturno.

Pro Feria III. & VI.

Antiph. In loco pascuæ. *Psalm.* 22.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit: * in loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: * animeam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ, * propter nomen suum.

Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: * quoniam tu mecum es.

Virga tua, & baculus tuus: * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam: * adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: * & calix meus inebrians quam præclarus est!

Et misericordia tua subsequetur me, * omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini: * in longitudinem dierum.

Requiem æternam &c.

Antiph. In loco Pascuæ ibi me collocavit.

Antiph. Delicta. *Psalm.* 24.

Ad te Domine levavi animam meam! * DEus meus in te confido, non erubescam.

Neque irridiant me inimici mei: * etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes: * supervacue.

Vias tuas Domine demonstra mihi: * & semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, & doce me: * quia tu es DEus Salvator meus, & te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum Domine: * & misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.

Delicta juventutis meæ: * & ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu: * propter bonitatem tuam Domine.

Dulcis,

Dulcis, & rectus Dominus: * propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Diriget mansuetos in judicio: * docebit mites vias suas,

Universæ viæ Domini, misericordiæ, & veritas; * requirentibus testamentum ejus, & testimonia ejus.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: * multum est enim.

Quis est homo, qui timet Dominum? * legem statuit ei, in via, quam elegit.

Anima ejus in bonis demorabitur: * & semen ejus hæreditabit terram.

Firmamentum est Dominus timentibus eum: * & testamentum ipsius, ut manifestetur illis.

Oculi mei semper ad Dominum: * quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Respice in me, & miserere mei: * quia unicus, & pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: * de necessitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam, & laborem meum: * & dimitte universa delicta mea.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt: * & odio iniquo oderunt me.

Custodi animam meam, & erue me: * non erubescam, quoniam speravi in te.

Innocentes & recti adhæserunt mihi: * quia sustinui te.

Libera DEus Israel: * ex omnibus tribulationibus suis.

Requiem ætetnam &c.

Antiph. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris Domine.

Antiph. Credo videre. *Psalm.* 26.

Dominus illuminatio mea, & salus mea: * quem timebo.

Dominus protector vitæ meæ: * a quo trepidabo?

Dum appropiant super me nocentes: * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei: * ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.

Si consistant adversum me castra: * non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me prælium: * in hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram: * ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Ut videam voluptatem Domini: * & visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: * in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me: * & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: * cantabo, & Psalmum dicam Domino.

Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te: * miserere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

Ne avertas faciem tuam a me: * ne declines in ira a ſervo tuo.

Adjutor meus eſto: * ne derelinquas me, neque deſpicias me DEus ſalutaris meus.

Quoniam Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me: * Dominus autem aſſumpſit me.

Legem pone mihi Domine in via tua: * & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, * & mentita eſt iniquitas ſibi.

Credo videre bona Domini: * in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age: * confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.

Requiem æternam &c.

Antiph. Credo videre bona Domini in terra viventium.

℣. Collocet eos Dominus cum principibus.

℟. Cum principibus populi ſui.

Pater noſter. *Secreto.*

Lectio IV. *Job. 13.*

Reſponde mihi: quantas habeo iniquitates, & peccata, ſcelera mea, & delicta oſtende mihi. Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum? Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam

ſiccam perſequeris. Scribis enim contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ. Poſuiſti in nervo pedem meum, & obſervaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti. Qui quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum, quod comeditur a tinea.

℟. Memento mei Deus, quia ventus eſt vita mea: * Nec aſpiciat me viſus hominis.

℣. De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. ℟. Nec aſpiciat me viſus hominis.

Lectio V. *Joh. 14.*

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Et dignum ducis ſuper hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium? Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es? Breves dies hominis ſunt, numerus menſium ejus apud te eſt: conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Recede paululum ab eo, ut quieſcat, donec optata veniat, ſicut mercenarii dies ejus.

℟. Hei mihi Domine, quia peccavi nimis in vita mea. Quid faciam miſer? ubi fugiam, niſi ad te DEus meus? * Miſerere mei, dum veneris in noviſſimo die.

℣. Anima mea turbata eſt valde; ſed tu Domine ſuccurre ei. ℟. Miſerere mei, dum veneris in noviſſimo die.

Lectio. VI. *Job. 14.*

Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Putaſne mortuus homo rurſum vivat? Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram: Tu quidem greſſus meos dinumeraſti, ſed parce peccatis meis.

℟. Ne recorderis peccata mea Domine: * Dum veneris judicare ſæculum per ignem.

℣. Dirige Domine DEus meus in conſpectu tuo viam meam.

℟. Dum veneris judicare ſæculum per ignem.

℣. Requiem æternam &c.

℟. Dum veneris &c.

In Tertio Nocturno.

Pro Feria VI. & Sabbatho.

Antiph. Complaceat. *Pſalm.* 39.

Expectans expectavi Dominum: * & intendis mihi.

Et exaudivit preces meas, * & eduxit me de lacu miſeriæ & de luto fæcis.

Et ſtatuit ſuper petram pedes meos, * & direxit greſſus meos.

Et imisit in os meum canticum novum: * carmen DEO nostro.

Videbunt multi, & timebunt: * & sperabunt in Domino.

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus:* & non respexit in vanitates, & insanias falsas.

Multa fecisti tu Domine DEus meus mirabilia tua: * & cogitationibus tuis non est, qui similis sit tibi.

Annuntiavi, & locutus sum: * multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium & oblationem noluisti: * aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum, & pro peccato non postulasti: * tunc dixi: ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: * DEus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna:* ecce labia mea non prohibeo, Domine tu scisti.

Justitiam tuam non abscondi in corde meo: * veritatem tuam, & salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam: * a concilio multo.

Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas a me: * misericordia tua, & veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: * comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.

Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei: * & cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi Domine, ut eruas me; * Domine ad adjuvandum me reſpice.

Confundantur, & revereantur ſimul, qui quærunt animam meam: * ut auferant eam.

Convertantur retrorſum, & revereantur: * qui volunt mihi mala.

Ferant confeſtim confuſionem ſuam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent, & lætentur ſuper te omnes quærentes te: * & dicant ſemper: Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego autem mendicus ſum, & pauper: * Dominus ſollicitus eſt mei.

Adjutor meus, & Protector meus tu es: * DEus meus ne tardaveris.

Requiem æternam &c.

Antiph. Complaceat tibi Domine, ut eruas me, Domine ad adjuvandum me reſpice.

Antiph. Sana Domine. *Pſalm.* 40.

Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem: * in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, * & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus: * univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus.

Ego dixi, Domine miſerere mei: * ſana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici

Inimici mei dixerunt mala mihi: * quando morietur, & peribit nomen ejus.

Et si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur, * cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras: * & loquebatur in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei: * adversum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt adversum me: * nunquid qui dormit, non adjiciet, ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo speravi: * qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me; * & retribuam eis.

In hoc cognovi, quoniam voluisti me: * quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti: * & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus DEus Israel a sæculo, & usque in sæculum: * fiat, fiat.

Requiem æternam &c.

Antiph. Sana Domine animam meam, quia peccavi tibi.

Antiph. Sitivit anima mea. *Psalm.* 41.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: * ita desiderat anima mea ad te DEus.

Sitivit anima mea ad DEum fortem vivum: * quando veniam & apparebo ante faciem DEI?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: * dum dicitur mihi quotidie: ubi est DEus tuus?

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: * quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum DEI.

In voce exultationis, & confessionis, * sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea, * & quare conturbas me?

Spera in DEO, quoniam adhuc confitebor illi, * salutare vultus mei, & DEus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: * propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim a monte modico.

Abyssus abyssum invocat * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui, * super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam: * & nocte canticum ejus.

Apud me oratio DEO vitæ meæ: * dicam DEO: Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei, * & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea: * exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies: ubi est DEus tuus? * quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera

Spera in DEO, quoniam adhuc confitebor illi: * ſalutare vultus mei, & DEus meus.

Requiem æternam &c.

Antiph. Sitivit anima mea ad DEum vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Domini.

℣. Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi.

℟. Et animas pauperum tuorum ne obliviſcaris in finem.

Pater noſter. *Totum Secreto.*

Lectio VII. *Job.* 17.

Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & ſolum mihi ſupereſt Sepulchrum. Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra me. Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſſipatæ ſunt torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, & rurſum poſt tenebras ſpero lutem. Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt, & in tenebris ſtravi lectulum meum. Putredini dixi: Pater meus es: Mater mea, & Soror mea vermibus. Ubi eſt ergo nunc præſtolatio mea, & patientiam meam quis conſiderat?

℟. Peccantem me quotidie, & non me pœnitentem, timor mortis conturbat me: * Quia in inferno nulla eſt redemptio: miſerere mei DEus, & ſalva me.

℣. DEus in nomine tuo ſalvum me fac, & in virtute tua libera me. Quia in &c.

Lectio VIII. *Job.* 19.

Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia mea circa dentes meos. Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare persequimini me sicut DEus, & carnibus meis saturamini? Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei: quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, aut plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? scio enim, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEum meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Domine secundum actum meum noli me judicare, nihil dignum in conspectu tuo egi: * Ideo deprecor Majestatem tuam, ut tu DEus deleas iniquitatem meam.

℣. Amplius lava me, Domine, ab injustitia mea, & a delicto meo munda me, tibi soli peccavi. Ideo &c.

Lectio IX. *Job.* 10.

Quare de vulva eduxisti me? qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret. Fuissem, quasi non essem de utero translatus ad tumulum. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum: antequam vadam, & non

rever-

revertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo sed sempiternus horor inhabitat.

℟. Libera me Domine de viis inferni, qui portas æreas confregisti: & visitasti infernum, & dedisti eis lumen, ut viderent te' * Qui erant in pœnis tenebrarum.

℣. Clamantes, & dicentes: Advenisti Redemptor noster.

℟. Qui erant in pœnis &c.

℣. Requiem æternam dona eis Domine, & lux &c.

℟. Qui erant in &c.

Sequens Resp. dicitur solum in die Commemorationis omnium Defunctorum; & quando dicuntur tres Nocturni.

℟. Liberare me Domine de morte æterna, in die illa tremenda: * Quando cœli movendi sunt & terra. * Dum veneris judicare sæculum per ignem.

℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis & miseriæ dies magna, & amara valde. Quando cœli movendi sunt & terra.

℣. Tremens factus sum ego, & timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. Dum veneris jndicare sæculum per ignem.

℣. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Libera me Domine &c.

Ad Laudes.

Antiph. Exultabunt Domino. *Psalm.* 50.

Miserere mei DDus, * secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: * & a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: * & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: * ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: * & in peccatis concepit me Mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: * incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, & mundabor: * lavabis me, & super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: * & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: * & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me DEus: * & Spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: * & Spiritum Sanctum tuum, ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: * & Spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: * & impii ad te convertentur.

Liber-

Libera me de sanguinibus DEus, DEus salutis meæ: * & exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies: * & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses Sacrificium, dedissem utique: * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: * cor contritum & humiliatum DEus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: * ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis Sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta: * tunc imponent super Altare tuum vitulos.

Requiem æternam &c.

Antiph. Exultabunt Domino ossa humiliata.

Antiph. Exaudi Domine. *Psalm.* 64.

Te decet hymnus DEus in Sion: * & tibi reddetur votum in Jerusalem.

Exaudi orationem meam: * ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum prævaluerunt super nos: * & impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus, quem elegisti, & assumpsisti: * inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ: * Sanctum est Templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos DEus salutaris noster: * spes omnium finium terræ, & in mari longe.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia: * qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos a ſignis tuis: * exitus matutini, & veſpere delectabis.

Viſitaſti terram, & inebriaſti eam: * multiplicaſti locupletare eam.

Flumen DEI repletum eſt aquis? paraſti cibum illorum: * quoniam ita eſt præparatio ejus.

Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus: * in ſtillicidiis ejus lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: * & campi tui replebuntur ubertate.

Pingueſcent ſpecioſa deſerti: * & exultatione colles accingentur.

Induti ſunt arietes ovium? & valles abundabunt frumento: * clamabunt, etenim hymnum dicent.

Requiem æternam &c.

Antiph. Exaudi Domine orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Antiph. Me ſuſcepit. *Pſalm.* 62.

DEus DEus meus, * ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea: * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deſerta, & invia, & inaquoſa? ſic in Sancto aparui tibi: * ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas: * labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: * & in nomine tuo levabo manus meas,

Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea: * & labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum? in matutinis meditabor in te: * quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo? adhæsit anima mea post te: * me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam? introibunt in inferiora terræ: * tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in DEO? laudabuntur omnes, qui jurant in eo: * quia obstructum est os loquentium iniqua.

Psalm. 66.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: * illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: * in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi DEus: * confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur, & exultent gentes? quoniam judicas populos in æquitate: * & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi DEus? confiteantur tibi populi omnes; * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos DEus, DEus noster, benedicat nos DEus: * & metuant eum omnes fines terræ.

Requiem æternam &c.

Antiph. Me suscepit dextera tua Domine.

Antiph.

Antiph. A porta inferi.

Canticum Ezechiæ. *Isa.* 38.

Ego dixi: In dimidio dierum meorum: * vadam ad portas inferi.

Quæſivi reſiduum annorum meorum: * dixi: non videbo Dominum DEum in terra viventium.

Non aſpiciam hominem ultra: * & habitatorem quietis.

Generatio mea ablata eſt, & convoluta eſt a me: quaſi tebernaculum Paſtorum.

Præciſa eſt velut a texente vita mea? dum adhuc ordirer ſuccidit me: * de mane uſque ad veſperam finies me.

Sperabam uſque ad mane: * quaſi leo, ſic contrivit omnia oſſa mea.

De mane uſque ad veſperam finies me: ſicut pullus hirundinis, ſic clamabo: * meditabor ut columba.

Attenuati ſunt oculi mei: * ſuſpicientes in excelſum.

Domine vim patior, reſponde pro me: * quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos: * in amaritudine animæ meæ.

Domine ſi ſic vivitur, & in talibus vita Spiritus mei? corripies me, & vivificabis me * ecce in pace amaritudo mea amariſſima.

Tu autem eruiſti animam meam, ut non periret: * projeciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.

Quia

Quia non infernus confitebitur tibi? neque mors laudabit te: * non expectabunt, qui descendunt in lacum veritatem tuam.

Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: * Pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Domine salvum me fac: * & Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

Requiem æternam &c.

Antiph. Eruisti Domine animam meam ne periret.

Antiph. Omnis spiritus. *Psalm.* 148.

Laudate Dominum de cœlis: * laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli ejus: * laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum Sol & Luna: * laudate eum omnes stellæ & lumen.

Laudate eum cœli cœlorum: * & aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, & facta sunt: * ipse mandavit & creata sunt.

Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: * præceptum posuit, & non præteribit

Laudate Dominum de terra: * dracones, & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, Spiritus procellarum: * quæ faciunt verbum ejus.

Montes, & omnes colles: * ligna fructifera, & omnes Cedri.

Bestiæ, & universa pecora: * serpentes, & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi: * Principes, & omnes Judices terræ.

Juvenes, & Virgines, Senes, cum Junioribus laudent nomen Domini: * quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cœlum & terram: * & exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus Sanctis ejus, * Filiis Israel, populo appropinquanti sibi.

Psalm. 149.

Cantate Domino canticum novum: * Laus ejus in Ecclesia Sanctorum.

Lætetur Israel in eo, qui fecit eum: * & Filii Sion exultent in Rege suo.

Laudent nomen ejus in choro: * in tympano & psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo: * & exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt Sancti in gloria: * lætabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes DEI in gutture eorum: * & gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus: * increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus: * & nobiles eorum in manicis ferreis

Ut faciant in eis judicium conscriptum: * gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.

Psalm. 150.

Laudate Dominum in Sanctis ejus: * laudate eum in Firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: * laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in ſono tubæ: * laudate eum in pſalterio & cithara.

Laudate eum in timpano & choro, * laudate eum in chordis & organo.

Laudate eum in cymbalis bene ſonantibus, ? laudate eum in cymbalis jubilationis: * omnis ſpiritus laudet Dominum.

Requiem æternam &c.

Antiph. Omnis Spiritus laudet Dominum.

℣. Audivi vocem de cælo dicentem mihi.

℟. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Antiph. Ego ſum.

Canticum Zachariæ. *Lucæ.* 1.

Benedictus Dominus DEus Iſrael, * quia viſitavit, & fecit Redemptionem plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis: * in domo David pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os Sanctorum, * qui a ſæculo ſunt Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis noſtris, * & de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris: * & memorari teſtamenti ſui Sancti.

Jus jurandum quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum, * daturum ſe nobis.

Ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, * ſerviamus illi.

In Sanctitate, & juſtitia coram ipſo: * omnibus diebus noſtris.

Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis * præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus: * in remiſſionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ DEI noſtri, * in quibus viſitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent: * ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Requiem æternam &c.

Antiph. Ego ſum reſurrectio, & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet: & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. *Poſtea.*

Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

Pſalm. 129.

De profundis clamavi ad te Domine, * Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, * in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: * Domine quis ſuſtinebit.

Quia apud te propitiatio eſt: * & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: * ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem: * ſperet Iſrael in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: * & copioſa apud eum Redemptio.

Et ipſe redimet Iſrael: * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem æternam &c.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Requieſcant in pace.

℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, qui inter Apoſtolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali, ſeu Sacerdotali feciſti dignitate vigere: præſta, quæſumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur conſortio.

DEus veniæ Largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſumus clementiam tuam; ut noſtræ Congregationis Fratres, Propinquos, & Benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierunt, Beata Maria ſemper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis conſortium pervenire concedas.

Fidelium DEus omnium Conditor & Redemptor, animabus Famulorum, Famularumque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum;

ut Indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis & regnas &c.

Requiem æternam &c.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

In die Commemorationis omnium Defunctorum.

Oratio.

Fidelium DEus omnium &c. *ut supra, & in fine* Qui vivis, & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus sancti DEus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

In die obitus defuncti, vel defunctæ.

Oratio.

Absolve, quæsumus Domine, animam famuli tui, (*vel* famulæ tuæ) N, ut defunctus (*vel* defuncta) sæculo tibi vivat; & quæ per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimæ tuæ pietatis absterge. Per Dnum.

Pro defuncto Episcopo, vel Sacerdote.

Oratio.

DEus, qui inter Apostolicos, *ut supra.*

Pro Patre vel Matre.

Oratio.

DEus, qui nos Patrem & Matrem honorare præcepisti; miserere clementer animæ Patris mei (vel Matris meæ), ejusque peccata dimit-

te;

te: meque eum (vel eam) in æterno claritatis gaudio fac videre.

In Anniverſario die Defunctorum.

Oratio.

DEus indulgentiarum Domine, da animabus famulorum, famularumque tuarum, quorum anniverſarium depoſitionis diem commemoramus, refrigerii ſedem quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Dominum noſtrum &c.

EXERCITIUM PECULIARE PRO STUDIOSA JUVENTUTE

Remedia ad Hæreſis periculum declinandum, & Orthodoxam Fidem conſervandam.

I.

Humilitatem ex animo colere. Sicut enim impoſſibile eſt hæreticum non eſſe ſuperbum, ut qui judicium ſuum totius Eccleſiæ judicio præponit: ita fieri non poteſt ut humilis labatur in hæreſim, niſi humilitatem abjiciat. *Pſ.* 35. Non veniat mihi pes, ſuperbiæ, & manus peccatoris non moveat me, ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem. Ibi. Hoc eſt: in pede ſuperbiæ. *Ait D. Auguſt.*

2. Frequens uſus Sacramentorum pœnitentiæ & Euchariſtiæ. Quia enim per hæc Sacramenta, & maxime per Euchariſtiam, non ſolum Fides confirmatur; ſed Spiritualis etiam guſtus confertur, ut guſtemus, & videamus, quam ſuavis ſit Dominus: fit per crebram Communionem, ut homo non modo credat, ſed quodammodo ſapiat, & experiatur vera eſſe, quæ Fides proponit.

Atque hoc est, quod Christus dicit *Joann.* 6. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo. Hoc est: perseverabit in Ecclesia mea, & Spiritus meus manebit in eo.

3. Frequenti meditatione exercere se, in consideratione charitatis Dei in genus humanum, quam ex innumeris beneficiis nobis collatis, tantam esse constat, ut intellectum excedat & Angelorum & Hominum. Huic sane charitati non est consentaneum, mundum universum sine Fide, sine vero Sacramentorum usu, sine recta intelligentia Scripturarum, mille quingentis annis in summis relictum fuisse erroribus; donec unus Apostata Monachus, qui ruptis Castitatis, & aliis Religionis votis, Sanctimonialem DEO consecratam, atque velatam, Sacrilegis sibi nuptiis junxit, tam diuturni erroris, & falsitatis orbem universum, argueret? damnatis tot Sanctis Patribus, qui & miraculis, & vitæ Sanctimonia claruerunt; cum iste & miraculum nullum ediderit, & fateri in publica ad populum Concione non erubuerit, se dæmonem probe novisse, & ab eo vicissim bene cognitum esse, cum eoque plus, quam modium salis comedisse (quod longæ familiaritatis est argumentum) imo scriptis libris testatum posteris reliquerit *lib. de Mis. Angulari Tom.* 7. *Editionis Witembergensis Fol.* 128. Diaboli secum nocte disputantis argumentis se convictum, Sacrificium Missæ de medio sustulisse.

4. Perpendere diligenter, & serio promissiones DEI Ecclesiæ factas; quæ tantæ sunt, ut iis cognitis nullus sit reliquus errori locus.

Est enim Primo. 1. *Tim.* 3. Ecclesia firmamentum, & columna veritatis: *Hoc est*: Quæ non solum veritatem secum habet, sed quæ sola veritatem, ad instar columnæ & firmamenti sustentat, & aperte omnibus demonstrat. Unde, sicut nullus error fidei in doctrinam Ecclesiæ potest irrepere; ita neque extra Ecclesiam est veritas sine errore.

Secun-



Klauber Cath. Sc. et exc. A.V.

Secundo: Ecclesia in doctrina morum errare non potest: cum sit a Fidelibus, in qualibet admonitione, instructione, & reprehensione sic audienda; ut qui ejus monitis obtemperare nollet, gravissima pœna, quæ mortalibus infigi potest: sit afficiendus: nempe excommunicationis gladio a Corpore Christi separandus. Si (ait Dominus *Matth.* 18.) Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.

3. Ecclesia est Christi Sponsa. Sponsam autem nihil potest latere arcanorum sui Sponsi.

4. Est Corpus Christi, eodem Spiritu Sancto afflatum. Quare neque a Capite separari potest, (ego, ait *Matth.* 28. vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi) neque ignorat mentem sui capitis, si idem sit capitis & corporis tempus. Nemo (ait Apostolus 1. *Cor.* 2.) novit quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est: nos autem Spiritum Christi habemus. Et *Rom.* 8. qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Unde & Dominus promisit *Joan.* 16. se Ecclesiæ daturum Paracletum Spiritum, qui eam doceret omnem veritatem.

5. Ecclesia est Congregatio, non occulta, & latens, sed aperta, sicut Civitas supra montem posita *Matth.* 5. & candela posita super candelabrum; ut omnes, qui in domo sunt, lumen videant. Id est; ut ab omnibus videri possit; tam iis, qui ad fidem Christi convertuntur, ut sciant, quo sit eundum, & a quo sit fides petenda; quam iis, qui sunt in Ecclesiam admissi, ut sciant in dubiis, quæ sit consulenda, & in doctrina, quæ sit audienda. Die, inquit *Matth.* 18. Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit &c.

6. Ecclesia hoc modo in monte fundata, & in luce constituta, non est unius anni, nec unius sæculi, sed omnium dierum, atque annorum usque ad consummationem sæculi. Super hanc petram (*ait Matth*, 16. ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, hoc est: firmissime eam collocabo, adver-

ſus quam, tametſi omnis induſtriæ ſapientia, atque potentiæ dæmonum ſit inſurrectura, nunquam tamen prævalebit, ut eam dejiciat. Si igitur hæc Eccleſia habeatur tam illuſtribus privilegiis inſtructa, quæ neque errare, neque errores in doctrina fidei vel morum docere, neque ſuperari poſſit ulla vi aut arte: quæ ſcripturas, & verba optime noverit, atque intelligat Sponſi ſui, quæque Spiritu eodem cum ſuo capite, & Sponſo ſit imbuta; non eſt locus hæreſibus, quia in omni dubitatione recurrendum erit ad Eccleſiam juxta Chriſti præceptum *Matth.* 18. Dic Eccleſiæ. Et *Lucæ* 10. qui vos audit; me audit.

Sed ubi ſit iſta Eccleſia quæritur? Hoc ſane ex ſcripturæ verbis conſtat aperte, talem aliquam eſſe, & a Chriſti temporibus extitiſſe, atque ad conſummationem uſque Sæculorum manſuram, qualem jam diſcripſimus. Ubi autem illa hactenus fuerit, & quænam illa ſit, etiamnum his duobus indiciis oſtendi poteſt.

Primo quidem ex omnium Chriſtianorum cujuſvis ſtatus & nationis unanimi conſenſu. Sicut enim Romanam Urbem eam agnoſcimus, quæ ad Tyberim: Pariſienſem, quæ ad Sequanam: Colonienſem, quæ ad Rhenum eſt poſita: quia hactenus mundus univerſus has Urbes, pro talibns habuit. Ita ſi quæ Eccleſia pro vera & Catholica Chriſti Eccleſia ab Orbe univerſo 1500 annis eſt habita, ea certe pro tali nobis eſt veneranda. Et ſicut, ſi poſt tanti temporis totius orbis confirmationem quiſpiam aliud oppidum, a paucis annis exædificatum tibi veram illam & antiquam Coloniam eſſe diceret, antiquorum Imperatorum Privilegiis, & libertate celebrem; adeo nihil perſuaderet, ut etiam tanquam inſanum ridendum & explodendum ſe proponeret: Ita qui poſt 1500. annos, aliam tibi Eccleſiam demonſtrare conatur, a paucis annis erectam, eamque docere, veram illam eſſe Eccleſiam, quam Chriſtus innumeris privilegiis donavit; erraſſe autem omnes qui 1500 annis hunc Cætum non agnoviſſent; non ſolum audiendus non eſt, ſed pro

inſano

infano habendus, tum quod universum Orbem præ se erroris accuset, tum quod recenti, & nuper nato Conventui tantam antiquitatem tribuat.

Ex his facile videre est, quænam sit vera Ecclesia. Quia ante 300. annos, cum nec dum ullus ex aliis cætibus natus esset, ubicunque per orbem Christianum, vero, ubi nunc novæ Sectæ vigent, si quis de vera Ecclesia quæsivisset, nulla alia, quam Ecclesia Romana ostensa fuisset.

Posteriori vero indicio idem ostenditur ex dictis superius privilegiis, Ecclesiæ suæ a Christo relictis. Si enim quæras Ecclesiam hodie, quæ sit, aut fuerit aliquando per orbem universum diffusa vel agnita, & cujus origo constanti et non interrupta successione ad Christum & Apostolos, deduci possit, nullam invenies aliam, quam Romanam. Sicut enim nos credimus, ita crediderunt majores nostri ab annis 100, ab annis 200, 300, 400. usque ad annos 1500, 1600, 1700, neque demonstrare potest, quando primum, vel a quo sit Fides nostra violata, aut mutata. At vero sicut credunt novæ Sectæ, Lutheri, Buceri, Calvini &c. ante annos 200. nusquam in orbe creditum est, cum omnibus constet, Martinum Lutherum anno 1517. errores istos primum excogitasse & invexisse. Atque etiam hodie errores isti angustiis certorum locorum continentur. Lutheranismus in Germania. Calvinismus in Gallia & Anglia. Zwinglianismus in Helvetia: extra Europam autem neque sunt, neque fuerunt unquam vel de nomine cogniti.

5. Vitare lectionem librorum Vetitorum, & Hæreticorum Conciones, & Familiaritates. Hæreticum *ait* *Tit.* 3. Apostolus, post unam, & secundam correptionem devita. Quia ut verba loquentis vim habent movendi, ita scripta ad permovendum majore artificio sunt elaborata. Legendi potius sunt sacri Doctores, quos constat vitæ Sanctitate & eruditione præcelluisse, & frequenter miscendi sermones cum Doctis & Piis. Quia tamen in tanta multitudine Hæreticorum, fieri vix potest,

test, ut non aliquando cum illis agamus: in promptu habendæ sunt rationes, quibus avitam Fidem Ecclesiæ tueamur. Parati inquit Apostolus 1. *Petr.* 3. Semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea, quæ in vobis est spe. Non quod necessum sit, a singulis articulis controversis omnes esse instructos; sed quod expediat, generales quasdam novisse solutiones communium argumentorum. Veluti si objiciant in sacris litteris non haberi invocandos esse Sanctos, venerandas imagines, abstinendum a carnibus, aut aliquid ejusmodi: non ergo ista esse facienda: Nos contra objiciamus & quidem efficatius: hæc sacris litteris non prohiberi, atque sine peccato fieri posse: quia ubi non est lex, ibi nec prævaricatio. *Rom.* 4. Item si dicant, nihil esse Fide tenendum, nisi quod sacris litteris continetur, nos contra dicamus: si hoc admittatur, manifeste secuturum Evangelium secundum Mathæum non esse a Spiritu Sancto dictatum; quia nusquam in universa Scriptura habeatur hoc Evangelium vel esse dictatum a Spiritu Sancto, vel esse in Cathologo librorum Sacræ Scripturæ. Hæc enim objectio illos eo ducet, ut fateri cogantur, aliqua esse recipienda, atque credenda, quæ Scriptura Sacra non contineantur: sed ea tantum rejicienda, quæ cum Scriptura Sacra aperte repugnant.

Si vero ejusmodi aliqua loca scripturæ ab iis adferantur, quæ videantur adversari doctrinæ Ecclesiæ; si quando Catholicorum Patrum expositio non occurrit, hæc una solutio sufficiet: Scripturas illas dogmatibus Ecclesiæ non esse contrarias, quantumvis prima fronte videantur. Nam licet earum genuinam explicationem ad manum non habeamus (sunt enim Scripturæ difficiles, & studio egent, quod non est omnium) ante multas tamen annorum centurias, priusquam hæresis in orbem venisset, Catholicos Doctores per universum Orbem scripturas istas sic ad mentem Christi intellexisse, ut nihil plane cum Doctrina Orthodoxa Ecclesiæ, quam iidem ipsi tuebantur, pugnarent. Rursus si quærant, cur li-

beat

beat tanto tempore in antiqua ista Ecclesia hærere, cum potius sint eligenda nova, quam vetera.

Dicendum primo: non omnia vetera abjicienda esse neque omnia nova veteribus præferenda. Aurum vetus prævalet novo, & si senex manum suam veterem amputare velit, non inveniet aliam commodiorem, etsiamsi argenteam aut auream substituat.

Dicendum 2do: Quo velint nos relicta Romana Ecclesia abire? ad Lutheri, aut ad Potestantium, vel ad Calvinistarum, an ad Anabaptistarum Sectam? Hi enim omnes Romanam Ecclesiam damnant, & veram Scripturarum intelligentiam jactant.

Tertio: Quæ sit ratio, cur illi nos velint antiquam fidem deserere? quid apud ipsos præclarum sit, quod nos ad mutationem tanti momenti, unde animæ salus dependet, movere debeat? nam si vitia spectes Superiorum: scimus Christum præmonuisse *Matth.* 25. Quæcunque dixerint, servate, & facite, secundum autem opera eorum nolite facere. Neque tantæ sunt Hæreticorum Ministrorum virtutes, ut iis magnopere cedant mores Sacerdotum Catholicorum: quia potius incorruptus arbiter majorem vitæ integritatem, atque doctrinam in Romana Ecclesia, quam in ullis Sectis deprehendet. Si Scripturarum intelligentiam consideres: ante exortas Hæreses, Ecclesia, quæ Scripturas haauit, earum etiam intelligentiam habuit.

Cur ergo ab Ecclesia Scripturarum libros accipiam, & eorundem intelligentiam non accipiam? Cur credam dicenti, hoc esse Verbum DEI, & non credam docenti, hunc esse Sensum Verbi DEI? Cur credam in numero Librorum, & non credam in sensu Librorum? Sane in die Judicii, coram Christo severo Judice, securior erit Catholicus quovis Sectario.

Ponamus enim falsa esse, quæ Romana Catholica Ecclesia credit: in exacto illo Judicio, cum Christus quæret: Cur ita de me, meisque Sacramentis credidisti, secure respondebit Catholicus.

Primo.

Primo. Quia Ecclesia per universum orbem nos ita docuit, quam tu audiendam jussisti

Secundo: Quia nos ita docuerunt majores nostri, qui eandem Fidem a suis se majoribus accepisse, & illos rursum a majoribus suis ad Apostolorum usque tempora, testati sunt, neque tempus scire potuimus unquam, quo fides hæc, quæ a te Apostolis tradita, ad nos usque per manus venisse dicitur vel minimo violata fuerit: maxime cum tu B. Apostolo Petro diserte promiseris, *Matth.* 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et ascensurus in cœlum dixeris: *Matth.* 28. ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem Sæculi.

Tertio: Quia Viri illi, qui fidem illam nos docuerunt, & ad finem vitæ usque retinuerunt, clarissimi fuerunt, & eruditione, & morum probitate, quorum Sanctitatem tu ipse miraculis comprobasti. Sane ergo, si error in nobis fuit, tu Domine nos decepisti. Eorum enim vestigia, quorum tu vitam tibi placere declarasti, secuti sumus. Denique, quia nihil vidimus in doctrina fidei nostræ, scripturis, & verbis tuis repugnans. Licet enim Adversarii nostri multas nobis Scripturas objecerint; ita tamen illæ omnes a Doctoribus nostris ante multas annorum centurias declaratæ fuerunt, ut plane nihil cum doctrina Catholica pugnare viderentur. Quis autem eram ego, qui fidem tam antiquam, per totum orbem diffusam, tot miraculis illustratam, tanta omnium Catholicorum confessione servatam, a tot Patribus explicatam, rejicere auderem, vel erroris arguere?

Contra, ubi ex Sectario interrogabit Dominus: Et quid te impulit, ut relicto ovili meo, ad luporum gregem te conferres? quid poterit adferre? nisi Martinus Lutherus nos decepit, Calvinus seduxit, Bucerus pervertit? At rursus Dominus. Quid, inquiet in his Doctoribus vidisti, quod te ad Fidem mutandam, & Ecclesiam tot Sæculorum deserendam impelleret? forte miracula edide-

ediderunt, vel insigni Sanctitate viguerunt? Atque tibi per Apostolum meum dictum fuit? *Gal.* 1. Si Angelus de cœlo vobis evangelizaverit, præter id, quod accepistis, Anathema sit. Si in Religionis mutatione, nec Angelis est Fides adhibenda, quanto minus hominibus, sine miraculorum testimonio, sine vitæ probitate? quales enim prædicti fuerint, novit orbis universus.

At dicet forte Hæreticus; Vidimus in Romana Ecclesia multos errores Scripturis tuis non consentaneos. Sed Dominus iterum: Et a quo Scripturas Sacras accepistis? nonne a Romana Ecclesia? illa autem totis 1500 annis tam socors fuisse in enarrandis Scripturis credenda non est, ut tanto tempore non adverteret se cum Scriptura pugnare? & si illa Scripturas eo sensu exposuit, ut nihil cum avita Fide pugnaret: cur tu novas & inauditas expositiones secutus, universum orbem erroris damnasti, & non potius Ecclesiæ Fidem & explicationes secutus fuisti? magis enim rationi consentaneum tibi esse debebat, illum esse verum Scripturarum intellectum, quem per universum orbem tot sæculis docuit illa Ecclesia, quæ tibi Scripturas tradidit; quam illum, quem post 1500. annos quivis novorum Doctorum commentus est.

Qui candido animo ista præcogitaret, quæ certius post mortem ventura sunt, non facile ad errores declinaret: sed veram retineret Romanam Catholicam Fidem, sine qua impossibile est placere DEO.

De Vitiis, quæ declinare Adolescentes potissimum debeant.

I.

Primum est otium, atque inertia. Multam malitiam, *ait Scriptura Eccl.* 33. docuit otiositas. Quam ideo *S. Bernardus Lib.* 2 *de Consid.* Matrem nugarum, & novercam virtutum *S. P. Benedictus in S. Regula c.* 48. Otiositatem appellat inimicam animæ, & S. Chrysostomus pulvinar Diaboli: Unde celebre erat apud SS. Anacho-

nachoretas Ægyti verbum: laborantem ab uno, otiosum ab infinitis oppugnari Dæmonibus, *Cassian. libro de Spiritu acedia* c. 23. Huic tanto vitio accurrendum est honesta & perpetua occupatione. Unde præclare B. Hieronymus: semper operis aliquid facito, ut te Diabolus inveniat occupatum. Non enim facile capitur a Diabolo, qui honesto vacat exercitio.

2. Superbia. Primo affine est superbiæ peccatum. Initium enim omnis peccati est superbia. Primo enim mentem a DEO avocat, fuitque primum peccatum, tam in cœlo, quam in terra: estque peccatorum omnium periculosissimum. Cætera enim vitia, *ait B. August.* in malefactis valent, sola superbia etiam in recte factis est cavenda. Hujus Filiæ sunt: præsumptio, hypocrisis, pertinacia, jactantia, ingratitudo, aliorum contemptus, inobedientia, ambitio, curiositas in vestibus maxime, & rebus aliis, quas omnes, & singulas Filias, una cum earum Matre supra omnia detestatur, & punit DEus: ita ut solis superbis, tanquam capitalibus, & unicis suis hostibus peculiari modo, resistere, hoc est: obniti, persequi, dispergere, ac funditus evertere dicatur.

3. Licentia. Ex otio, & superbia, tanquam impurissimis lacunis, adolescentum pestis summa nascitur libertas, sive licentia pro arbitratu vivendi, faciendique omnia. Cujus impurissimæ lucis studio stolidi, amentes, cæcique adolescentes mature litteras, & Magistros, Parentum oculos, monita, imperia, amicorum consilia, decretaque majorum omnium negligunt, rident, nonnunquam & exsibilant, omnesque obedientiæ, & subjectionis jugum excutiunt, ut (quod falso credunt, & jactitant) sui juris sint exleges, liberi, & potestatis suæ. At vero tantum abest, ut libertate aliqua gaudeant, ut durissimam potius & vitiorum, & cupiditatum, & mulierum, & Dœmonum serviant servitutem.

4. Gula. Ex superioribus monstris prodit Gula, crapula, ebrietas, vitium ventris, & gutturis, quod castitatem prodigit, nutrit illecebram, & innumera vitiorum

agmina


Grandia habet Ordo Promissa!
Recordabor Fœderis mei vobiscum. Gen. 9.
Benedicam tibi
et multiplicabo. Gen. 22.
I
II
III
Nullus e
tuo Ordi
morietu
quin Salute
conseq: et
male vix
IV
V
I. Hic Ordo stabit, dum lapsus corruet Orbis.
II. Eiusdem curret lumine Cymba Petri.
IV. Mortem felicem Cultoribus: V. hostibus autem
Infaustam Spondet. quæ tibi fata placent?
Klauber Cath. Sc. et exc. A.V.

agmina ad animæ conflictum producit, ut docet S. Gregorius, & quotidiana experientia.

5. Lascivia. Gulam. Affectatur lascivia', & omnis turpitudo *ait B. Hieronimus* Ad lasciviam pertinent non modo omnis inordinatus omnis libidinosæ voluptatis sensus, & actus, sed & quæcunque ad eam viam sternere solent, saltationes, inquam, ludi intemperantes, joci impudentes, aspectus turpes, gestus impudici, impura colloquia, lectio amatoria, cantiones sordidæ, incessus mollis, effeminata vestium, & capillaturæ compositio, comendi corporis cura superflua, oculorum levitas, & id genus alia: quæ tanquam libidinum faces, Diabolique ad omnem turpitudinem arma, & omnis virtutis, bonorumque morum propinqua excidia, a piis, castisque Adolescentibus omnino fugienda sunt.

6. Contentiones. Consequuntur superiora flagitia, rixæ, Contentiones, inimicitiæ, pugnæ, homicidia, & aliæ hujusmodi Christianæ charitatis pestes. Si quis contentiosus est inter vos, *ait S. Paulus*, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia DEI. Servum enim DEI non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Si hoc B. Apostolus de contentioso dicit, quid de iis dicet, qui ad ipsas pugnas, ad cædes, ad homicidia provolant? qui inimicitias capitales suscitant, foventque?

7. Imprecationes, maledicta &c. His finitimæ sunt calumniæ, contumeliæ, imprecationes, maledicta, irrisiones, detractiones, & id genus portenta nequitiæ, ac vera opera Diaboli, quæ, qui agunt, Regnum DEI non consequentur.

8. Mendacia, juramenta, Blasphemiæ. Addi his debent cætera linguæ vitia: mendacia, juramenta, perjuria, Blasphemiæ, adulationes, doli, & fraudes, quibus ficto sermone proximum circumvenimus; quæ omnia ex superioribus, tanquam putidissimis fontibus, aut sentinis verius proficiscuntur. A quibus omnibus, ceu certissimis veræ pietatis naufragiis abstinendum est semper

Studiosis Adolescentibus: quod ea sensim excipere soleant oblivio DEI, & salutis propriæ, ac tandem contemptus Ecclesiæ, ipsiusque DEI, induratio sui ipsius, infernus deinde, gehennaque æterna.

Remedia & Antidota Generalia contra Vitia.

1.

Prodest fugere occasiones, quæ ad tale peccatum solent inducere. Ut ludos, malas societates, familiaritatem personarum suspectarum, aspectum oculorum; colloquia prava, lectionem librorum lascivorum, & id genus alia.

2. Juvat plurimum in principio diligenter resistere tentationibus, excutiendo a te Scintillam pravæ cogitationis, antequam intret, & accendat cor. Quod si fieri potest, si subito recurras ad orationem, vel nomines Sanctum Nomen JEsu, vel signes te Signo Sanctæ Crucis, vel subito ante oculos subjicias Imaginem Christi Crucifixi, pro peccatis tuis vulnerati, & Sanguine manantis, vel e vestigio implores opem B. Virginis.

3. Juvat frequens auditio Verbi DEI, & piorum librorum lectio.

4. Prodest, si quando senserit homo rebellionem carnis, aspere & dure tractare corpus, tum dormiendo, edendo, bibendo; tum etiam in aliis rebus, quæ illi afferre possent voluptatem.

5. Fuga otii necessaria est, quod origo, & fomes est vitiorum omnium.

6. Efficacissimum est remedium, frequens usus Sacramentorum confessionis & pœnitentiæ.

7. Plurimum etiam juvat DEI & Angeli Custodis semper habere præsentiam in oculis, & ita quasi coram Pædagogis cœlestibus conversari.

8. Similiter juvat Christi passionem frequenter considerare, Sanctorum vitas sæpe legere, & maxime omnium;

tum: Novissima sua diligenter meditari; sic enim in æternum non peccabis. *Ait Sapiens.*

Remedia & Antidota specialia contra Vitia.

Primo contra Superbiam & gloriam inanem.

I.

Oportet subinde ponderare, quia homo in labiis hominum ponens gloriam suam, modo magnus, modo parvus, modo nullus erit. Et qui laudem humanam quærit, amittit divinam: Superbus enim, neque DEO, neque sibi, neque proximo placere potest.

2. Talis quisque est, qualis coram DEO est. Si quis vesperi, postquam incubuit, apud se cogitet, quid omnis elapsi diei gloria jam illi prosit? inveniet nihil se nisi vanitatem consecutum.

3. Quærendo gloriam amittitur gloria: fugit namque gloria sequentem, & sequitur fugientem.

4. Ex inani gloria perit omnis boni operis fructus, ut dicitur *Matth.* 6. receperunt mercedem suam.

5. Ex Sententia S. Bernardi *Serm.* 3. in parvis Sermonibus, status hic noster non est honoris & gloriæ, sed contemptus potius, laboris, & exilii, inter vermes & bestias, in quo omnia nos ad humilitatem provocant: corpus sordidum, multisque malis obnoxium: tentatio dæmonis assidua: denique Christi, & Sanctorum prædicatio & exempla.

6. Qui laudari vult, & videri, quærat laudem a DEO, & Sanctis omnibus, qui & plures sunt, & nobiliores hominibus omnibus in terra viventibus, eorumque laus est solida.

Elice affectum, & dic: Ubi cognovi DEum altissimum pro me extreme humiliatum, nunquam adeo me deprimere potuit homo, quin majori me vilipensione dignum judicarem.

Secundo Contra Avaritiam.

I.

Avaro nihil ſceleſtius, nihil iniquius, quam amare peccuniam, hic & animam ſuam venalem habet. *Eccl.* 10.

2. Vita conſuetudinem avarorum, frequenter adeſto liberalibus: facilius eſt enim dare, quam accipere; quia ſi dare velis, nemo impediet; ſi accipere velis, multi objicient impedimentum.

3. Cogita brevitatem vitæ, mortemque iminentem. Facile contemnit omnia (*ait D. Hieronimus ad Paulinum*) qui ſe ſemper cogitat eſſe moriturum.

4. Per divitias conſervatas, neque vita iſta prorogatur, neque vita æterna comparatur, cum dicat Dominus *Lucæ* 6. Beati pauperes, quia veſtrum eſt Regnum DEI, & Væ vobis divitibus.

5. Intuere exemplum DEI Domini noſtri, qui tanta largitate in omnes utitur, ut creaturas omnes divitiis ſuis cumulet. Non illi ſufficit, in uſum tuum hunc orbem creare, quotidianis muneribus te locupletare. Spiritum ſuum Sanctum, atque ſeipſum tibi communicare ſed inſuper Sanguinem ſuum, & vitam tibi dedit, & propter te egenus factus eſt. 2. *Cor.* 8. Cum eſſet dives, ut illius inopia tu ditareris:

Elice affectum & dic: Ubi cognovi animam meam nulla re poſſe ſatiari, præterquam ſolo DEO meo, miratus ſum, ſi aliud præter ipſum quærere debeam.

Tertio contra Luxuriam & Laſciviam.

Olla, cum admota igni nimium fervet, ad eam refrigerandam conſuevit unum ex tribus adhiberi; vel ab igne amovetur, vel ligna ſubtrahuntur, vel frigida infunditur. Quia ergo libidinis ardor eſt quidam ignis, ad ejus fervorem minuendum ſimilibus eſt utendum remediis.

1. Fu-


Benedicta bonis maledicta malis!
Huncce tenet Signi bis quina hæc litera sensum:
Crux Sacra Sit Mihi Lux: Non Draco Sit Mihi Dux.
Orcum miraris BENEDICTI signa timere?
Sunt Lux: et Lucem noctua quæque fugit.
Klauber Cath. Sc. et exc. A.V.

1. Fugiendæ ſunt occaſiones, vitanda mulierum colloquia, otium, perditio temporis: cohibendi oculi, aures, manus, & omnia ea declinanda, quæ aliquam poſſunt libidinem provocare. Quia cum cætera vitia concertatione vincantur, ſola Luxuria ſuperatur fuga.

2. Cogitate Juvenes Ingenui, quia ſi beſtia hæc omnia devaſtans, ſummum & pretioſiſſimum, quem in vaſis fragilibus geritis Theſaurum, Virginitatem videlicet vobis ſuffurata fuerit ſemel, in perpetuum amplius non eſt conſequendus, juxta antiquum:

Sunt tria, quæ nunquam poſſunt amiſſa redire, Tempus, Virginitas, verbaque dicta ſemel.

3. Cogitate quia oculi in amore duces: non vos ſeducent, ſi ſequi nolueritis. Sine Cerere & Baccho friget Venus: ubi flamma non invenit pabulum, evaneſcit incendium. Tactus, & Joci ſunt morituræ Virginitatis principia: ceſſent exordia, deſinent progreſſus, Scintilla res parva eſt, ex mente S. Hieronymi, & pene dum cernitur, non videtur, ſed ſi fomitem comprehenderit, & nutrimenta, quamvis parvus ignis, Urbes, Latiſſimos Saltus, regioneſque conſumit.

4. Addatur corporis afflictio, & pœnitentia. Corpus enim noſtrum, cum ſit Aſino ſimile, tunc minus inſoleſcit, cum durius tractatur.

5. Addatur fervens Oratio ad Dominum. Quia de hoc vitio ait Chriſtus *Matth.* 17. hoc genus Dœmoniorum non ejicitur, niſi in oratione & jejunio.

6. Primis inſultibus impurarum cogitationum ſtatim occurrere, quia dum aliqua negligentia permittuntur irrepere, inficiunt animam, & firmius hærent, quam ut facile poſſint excludi. Sunt enim viſcoſæ inſtar picis, quæ tacta adhæret, & inficit.

Elice affectum, & dic: Ubi cognovi corporis mei nobilitatem: & quod mihi concedatur puriſſimum Corpus Chriſti ſumere in os meum: dignum duxi omnibus modis laborare pro perpetua cordis, & corporis puritate.

Quarto contra Invidiam.

I.

Quid est Invidia? respondet S. Bernardus, est animi tinea, quæ sensum comedit, pectus urit, mentem afficit, cor hominis quasi quædam pestis depascit, & cuncta bona ardore pestifero devorat.

2. Ipsam animam, in qua est, consumit, ut ærugo ferrum, & ipse invidus gravis est omnibus, nemini charus; ab omnibus ridetur, & nemo illi compatitur, ita loquitur *S. August.*

3. Qui livoris peste plane carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ & omnibus una est, & singulis totaque tanto largior esse ostenditur, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur. *S. Greg. l. 5. Moral. c. 34.*

4. Vitium est proprium Diabolo, facit hominem in perpetuo tumultu, inquietudine, & rabie Spiritus efferati vivere. Et sæpe invidia patrocinatur eorum exaltationi, quibus invides.

Elice affectum & dic: Ubi cognovi, quod DEus me tantum peccatorem in gratiam receperit, non potui aliquem hominem odisse propter ipsius iniquitatem.

Quinto contra Iram, & Odium.

I.

Perpendere injurias, quas non verbis solis, sed multis quoque verberibus sustinuit Christus, nulla sua culpa, sed ad delendam culpam tuam.

2. Prævidere occasiones & causas irarum & odii, seque frequenti proposito armare ad perferenda verba &c. Evitare item loca, personas, negotia, relaxationes animi, quæ solent ad iram incitare.

3. Commoto primum interius animo, linguam cohibere a verbis asperioribus, vel nihil omnino respondere, donec iram sedet mora, vel respondere suaviter.

4. Men-

4. Mentem ab injuria illata avertere, & ad alia cogitanda transferre, injuriarum & probrorum recordari Christi Domini, ipsique heroicum hunc gratissimum actum offerre, injuriam, Christi amore, condonando, patienter & in silentio animæ perferendo.

Elice affectum, & dic: Nulla hominum infidelitas me perturbare potuit, dum perpenderem, quam infidelis DEO meo fuerim ego.

Resisto iræ, si possum, cedo, si non possum, *S. Ambros.*

Sexto contra Gulam.

I.

In guloso caro ad tempus suaviter vivit, verum Spiritus æternum cruciatur: & quo plus caro punitur in hac vita, tanto plus gaudebit in futura.

2. Gulosi anima cœno carnis perpetuo hæret immersa, cor ad cœlestia induratur, intellectus hebetatus stupescit: corpus multifariam infirmatur: bona fortunæ, & opes perduntur: fama imminuitur, fædatur: loco DEI venter constituitur, peccata, & mali habitus animæ excessu cumulantur: pœna divina gravissime crescit, & quandoque inopinatum opprimit.

3. Occasiones, consortia, & conversationes ad gulæ excessum invitantes, diligentissime cavere; firmiterque ante cibi sumptionem statuere, non plus adhibiturum, quam necessarium.

4. De meliori edulio abstinere, aut sibi aliquid detrahere, & cum pauperibus communicare. In specie Die Veneris ob Cultum Passionis Domini, & Sabbatho ob Cultum Virginis Beatissimæ Mariæ.

5. Excessus commissos animadverte & punire abstinentia aliqua, aut jejunio.

Elice affectum & dic: Ubi gustavi cœlestium ciborum dulcedinem, nulla terreni edulii me seducere potuit ingluvies.

Septimo contra Acediam.

1,

Divitiæ hujus ſæculi tunc maxime augentur, cum nulla prorſus lucra vel minima contemnuntur; Ita & in ſpiritualibus divitiis, ne minimum quidem boni operis contemnendum eſt; eo enim contempto homo paulatim decidet. Viciſſim, ſi quis parva, & minima lucra ſpiritualia non contempſerit, paulatim ad magna perveniet. Juxta illud:

Parvula ſi tendas ſuperadjeciſſe puſillis,
Idque frequens peragas, grandis cumulatur acervus.

2. Perpendere omnium creaturarum indefeſſum laborem ad voluntatem DEI. Solis, lunæ, cœli, terræ, Syderum, florum, nubium, arborum &c. Et minimæ formicæ: & tu quid inter hæc omnia? quantum agunt, & patiuntur homines propter opes, honores, & commoda vitæ præſentis, brevi perituræ, & quid hæc æternis collata?

3. Meminiſſe mortis quotidie, imminentis judicii, in noſtram confuſionem potiſſimum futuri: præmiorum cœleſtium, quorum jacturam facimus: pœnarum inferni, quarum æternitatem incurrimus.

4. Fugere otio, & ignaviæ deditos, & verſari cum diligentibus, & ſtrenuis: variare occupationes, & alias inquirere diligentias: præmium operi, & pœnam negligentiæ præfixam attendere.

Elice affectum & dic: ubi perpendi, quod poſt breviſſimum laborem æterna conquiritur beatitudo, nimis exiguum arbitratus ſum, quemcunque ego toleravero laborem.

De Virtutibus Adoleſcentum.

Virtutes præcipuæ Juventis Partheniæ ſunt.

Timor Domini Virtutum omnium & ſapientiæ principium duplex eſt. Timor ſervilis timet Dominum, ut ſeverum judicem, a quo, ne puniatur, a peccatis retrahit.

Stephanus plenus gratia et fortitudine. Act. 6.

Laurentius bonum opus operatus est.



Honore invicem prævenientes. Rom. 12.

C.P.S.C.M. Klauber Cath. sc. et exc. A.V.

trahit. Timor filialis timet DEum, ut Patrem, quem ne offendat, ejusque amorem perdat, peccatum ſolicite fugit.

Ex prædicto naſcitur.

I.

Cura bonæ conſcientiæ, ſui ipſius cognitio, & ſincera humilitas, quæ Deo ſemper magis gratum efficiunt.

2. Obedientia & reverentia erga Superiores, ut DEI Vicarios, quos ſequendo tute progredimur.

3. Patientia in adverſis, quæ DEI amorem probat, & conſtantiam firmat.

4. Sobrietas, quæ eſt corporis tutela, pudicitiæ munimentum, magiſtra ingeniorum, vitiorum profuga, virtutum omnium ſingulare ſubſidium. Hinc.

5. Caſtitas utriuſque Sexus Angelicum ornamentum, hæc oculos in cælum aperit, & ex homine ipſo pene cœlum facit.

6. Manſuetudo hominem in terris illuſtrat, gratum omnibus, & omnes ſui Studioſos efficit. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Magnum ad bona in aliis promovenda adjumentum.

6. Modeſtia, ſeu geſtuum, & morum ordinatio: hæc eſt quædam vox corporis, & figura animi, non obſcurus totius hominis index.

8. His demum conſtantia (heu! rara juvenibus: ſed neceſſaria omnibus) palmam, ut addat, hic labor, hoc opus eſt. Hac obtenta facile has octo juvenum beatitudines Charitas virtutum omnium plenitudo coronabit.

Adjumenta & Praxes ad prædictas virtutes obtinendas.

I.

Maturum virtutis ſtudium a prima annorum adhuc tenerorum ætate; bonum eſt enim Viro, cum portaverit jugum Domini ab adoleſcentia ſua.

2. Assiduum exercitium & actuum earundem virtutum exercitatio, quæ facilitatem pro sequentibus parit.

3. Usus quidam, & consuetudo bonorum Virorum, quorum exemplis, monitis, & reprehensionibus ad perpetuum virtutum studium inflammemur, quæ fuit Sanctorum quotidiana Praxis.

4. Usus, & privata consuetudo amici alicujus intimi, virtute & moribus conspicui, qui sincerus sit, & fidelis, ac egregie in Domino amicus: cum quo hoc sit vinculum, ut mutuo se se observent, notent, & constituto die hebdomadæ cujuslibet, ea, quæ in moribus, verbis, operibus, correctione visa fuerunt digna, sincere & candide sibi mutuo Secreto aperiant. Medium ad vitam bene ordinandam imprimis utile, & plurimis usitatum, ut DD. Basilio & Gregorio &c.

5. Quotidiana sui profectus discussio, & examen actionum suarum omnium, quod ad pleniorem sui cognitionem facit.

6. Novissimorum frequens meditatio; miræ ad virtutem provehendam efficaciæ.

7. Exemplorum Christi, Deiparæ, & Sanctorum consideratio, in quibus virtutum omnium Idea.

8. Demum usus frequens orationis, meditationis, piæ lectionis, Sacramentorum &c.

Epitome bonorum operum pro Virtute a Sodalibus B. Virginis exerceri solitorum.

I.

Abstinentiæ aliquæ a cibo grato, vel alterius sensus dulci objecto: vel Jejunia Feriæ Sextæ, Sabbathi, Vigiliarum B. V. &c.

2. Flagellorum & Cilicii usus moderatus.

3. Expansis brachiis, aut humi prostratum, aut nudo genu, in terram flexo, orare.

4. Sanctorum templa devote visitare, & piis peregrinationibus interesse.

5. Assi-

5. Affidue facris Officiis, Concionibus, vel piis lectionibus operam dare.

6. Duriore lecto cubare, vel media nocte DEum laudare, aut peccata exemplo Davidis plangere.

7. Pro Peccatorum converfione, vel Hæreticorum ferventer orare, & cum induftria adlaborare ope, & confilio. Peccata aliorum, & DEI offenfas ftudiofo, & ingeniofo conatu impedire, & eorum veniam apud DEum procurare, orationibus, pœnitentiæ operibus &c.

8. Captare undique occafionem exercendi opera mifericordiæ, tum corporalia egenis fuccurrendo &c. tum fpiritualia, rudes inftruendo, a peccatis dehortando, virtutem & famam aliorum tuendo &c.

9. Pro Fidelibus defunctis orationes Sacrificia, Eleemofinas facere, vel procurare.

10. Virtutem aliquam fingularem S. Patroni menftrui imitari, & aliquem ex Sanctis peculiariter fibi imitandum proponere.

11. Captare occafiones humilitatis, patientiæ, & fui ipfius contemptus apud alios.

12. Exercitia Pietatis Matutina, Vefpertina, examina confcientiæ affidue adhibere: imprimis vero frequentem Confeffionem Sacramentalem, & facram Communionem, eorumque Cultum & Venerationem.

EXERCITIUM
Deliberationis de ftatu vitæ, quando & quomodo illa inftituenda?

Maximopere conducit Adolefcentibus mature, aut certe non nimium tarde conftituere fecum, quo in genere, aut ftatu velint totum vitæ tempus tranfigere, ac denique mortem Chriftianam obire. Imprimis igitur Adolefcens exiftimare debet, in hac Electione, cardinem totius vitæ, atque omnium actionum, ipfiusque

que æternæ vitæ verti. Deinde vero persuadere sibi debet inquirendam, atque intelligendam DEI voluntatem, num in hoc aut illo statu velit DEus Salutis nostræ negotium nos agere. Perspicuum enim est, non omnes a DEO ad unum, idemque genus vitæ vocari. Tertio denique hæc Deliberatio non levi, & præpropero, sed maturo consilio, neque tamen nimis tardo suscipienda est.

Triplex autem via est: sive triplex status, in quo ad DEum perducimur. Sunt Semitæ arctæ, & angustæ: sunt latæ & spatiosæ, sunt & mediæ. Arcta est semita Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ Professio. Lata & spatiosa, quæ divinis mandatis constat, hisque absolvitur, media ex his mixta, quæ nec mandatis contenta est, nec consiliis omnibus inhæret, sed quædam amplectitur, & quædam non.

Quosdam ad arctam capescendam semitam divina lux invitat, quosdam ad latam, quibusdam ut in media se se teneant, monstrat. Sed si jam nescio quibus modis, ut quos monstrante luce, quæ cœlitus menti infunditur, arctam Religionis capescere oportebat, lætam, conjugii scilicet, ingrediantur, & quos in lata consistere, mediam, cælibem nimirum in sæculo invadant, invertanturque omnia; unde in sæculo naufragium patiantur, qui in Religione, nave incolumi portum tenuissent, & in Religione submergantur, qui in sæculo enatassent, & in mixta via, quæ est cœlibum, sive Ecclesiasticorum, sive Sæcularium, pereant, qui in lata, vel arcta emersissent. Quocirca pro ratione harum viarum trium, tres necessariæ suut sdmonitiones, dignissimæ, quæ expendantur.

Triplex admonitio, singulis vitæ statibus serviens.

I.

Prima est: Omni, cura & diligentia observandum est, quod DEus, ejusque inspiratio & lux nos impellant. Id autem observabimus, & cognoscemus sine dubio,

si

ſi frequenti Sacramentorum uſu DEI nutum & voluntatem exploraverimus, parati ad id omnino ſequi, quod ſuggeſſerit. Dicendum itaque frequenter cum Samuele: loquere Domine, quia audit Servus tuus. Et cum Davide: Paratum cor meum DEus, paratum cor meum. Et cum Sapiente: Emitte Domine ſapientiam de ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore. Paratus ſum Domine in omnem eventum, & voluntatem tuam. Vis me in terra mea conſiſtere, ut inter notos ſerviam tibi? paratum cor meum. Vis, ut de terra, de cognatione, de domo Patris exeam, atque apud ignotos agam? paratum cor meum ad omnem nutum tuum, & læta, & triſtia, ad ſuavia & aſpera. Vis, ut ſemel abdicatis omnibus, in Religioſa paupertate, obedientiaque tibi ſerviam, idque in hoc loco, apud hos, vel illos aggrediar? da oſtenſionem, da ſignificationem voluntatis tuæ: nihil moror, nec patriam, nec cognatos, nec magna quæ me manent, reſpicio. Si quid aliud jubes, ut vel cœlibem in ſæculo vitam, vel honeſtum conjugium ſubeam, da oſtenſionem, beneplacitum tuum indica.

2. Admonitio: Quia DEus regit omnia ſapienter, & ex conſilio, ac per ſecundas fere cauſas, ut nova edere miracula non debeat; ideoque una cum frequenti hac Numinis divini exploratione, conſulendi ſunt Viri prudentes, ſani, & integri, Confeſſarii potiſſimum, qui pernoverunt & vires, & facultatem noſtram, aliique doctrina, & pietate præſtantes, qui citra ullum proprium commodum, citra affectum nos juvent, bene conſulant, dirigant, & DEI voluntatem edicant. Atque hoc ita neceſſarium eſt, ut ſi negligatur, nunquam bene res poſſit ſuccedere. Non vult enim DEus, proprio niti nos judicio, ſed ſuo: quod edicere ſolet, & oſtendere per Sacerdotum, bonorumque Virorum ſententiam, & conſilium. Propterea Tobias *Tob.* 4. monebat Filium, ut a Sapiente conſilium perquireret. Et Sapiens: Fili mi, ait,

ait, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis. Si sine consilio faciendum nihil est; quæ temeritas fuerit, & stupiditas, ne dicam, arrogantia, & amentia, sine prudentium & sapientium Virorum consilio statum vitæ aliquem arripere?

3. Admonitio: Ut quicunque deligere sibi vitæ genus aliquod constituit, singulos status sibi ob oculos ponat, & quæ in iis proposita, ac fere obvia sint pericula, dispiciat. Quid enim prodest homini, ait Salvator, si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur: Subjiciat ergo oculis suis vitam Aulicam, Militarem, Mercatorum, item Jurisperitorum, & Medicorum statum: singulorum horum vitæ generum difficultates, & discrimina examinet; proprias etiam vires ingenii, scientiæ, judicii expendat? quid ferre recusent, quid valeant humeri, ne cum temere susceperit, ferre non possit, & tam gravibus deinceps peccatis & periculis obruatur.

Quodsi Deliberatio sit de statu Ecclesiastico Sæculari, cum onere Procurationis reddituum, aut cura animarum, res est, ut S. Bernardus ait, Angelicis humeris formidanda. Nemo assumat sibi honorem, monet Apostolus, nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Propterea hujus tantæ rei electio postulat multas ad DEum preces, multa pietatis opera, consilia Sapientium, maturam deliberationem. Denique ad hoc vitæ genus per vim potius trahi oportet, quam ad id per ambitionem contendere.

Cavendum maxime iis omnibus, qui Ecclesiasticum statum capescunt, ne mundi, vel commoditatum terræ hujus causa, illotis quasi manibus ad Sacerdotia, & beneficia, statumque eum provolent, nisi jacto fundamento tam ardui status.

Si de Religiosa vita est Deliberatio, non ad amicitias, & cognationes, non ad res humanas ejusmodi, sed ad DEI instinctum, & motum, ad hanc potius, quam ad aliam trahentis, disciplinam, & vitam respiciat, deinde

ad

S. AMBROSIUS. S. AUGUSTINUS.



Legis DOCTORES. Lucæ 5.

C.P.S.C.M. *Klauber Cath. Sc. et exc. A.V.*

ad propenſiones, inclinationeſque majores naturæ ſuæ, & ingenii poſtremo illud vitæ Religioſæ genus, illud Cœnobium, locumque Religioſum ducat aliis præferendum, in quo viget magis Virtutis ardor, & Spiritus primæ Inſtitutionis, & obſervatio Religioſorum legum, ſive antiquum ſit inſtitutum illud vitæ, ſive novum.

Concluſio de Status, generisque vitæ Deliberatione.

Nemo dicat: Quotus quiſque eſt hominum, qui vitam ſibi aliquam delecturus hæc deſpiciat, & obſervet? In promptu ſiquidem reſponſio. Quanti ſunt, qui in eo ſtatu, quem ſibi, ſine hac Cautione, & Conſideratione delegerunt, exitum Felicem ſortiantur? Docet quotidiana experientia multorum, qui quod nullâ habita vel DEI, vel Salutis ſuæ cura, ad Conjugia, ad Eccleſias, ad Canonicatus, ad animarum miniſterium ad Religioſa inſtituta provolarunt, in graviſſima ſæpe Salutis ſuæ diſcrimina incurrerunt. Deinde quis non videat de eo mature & ſerio deliberandum, & ſtatuendum eſſe, quod in omnem vitam retinendum eſt? Propterea Tobias prudenter ad Filium *Tob* 4. Fili mi, inquit, pete à DEO, ut vias tuas dirigat, & conſilia tua in ipſo permaneant. Peccant proinde ii, qui ſuam Vocationem ſine timore DEI, corrupto affectu, quod carnis impetum, mundique ſequantur judicium, leviter auſpicantur. Huc enim ſpectat Chriſti Domini Præceptum, ut non ſecundario, ſed primum ac pure quærant Regnum Dei, ac juſtitiam ejus, ſi nempe proſperum ſucceſſum, & exitum in ſua Vocatione conſequi cupiunt.

Oratio pro loco, ac ſalutari vitæ ſtatu.

O! Domine DEus æterne, qui cuncta gubernas, & diſponis, & moderaris! Invoco paternam pietatem tuam, & peto, ut locum, ac Statum talem mihi provideas, ubi congruenter

ter ad tuam gloriam, & ad meam salutem tibi valeam famulari. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti DEus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Praxis devote & reverenter celebrandi Sacrificium Missæ, inserta in gratiam & commoditatem Sacerdotum, si qui forte Libello hoc uti voluerint.

Consideranda Sacerdotibus Sacerdotum Dignitas, & quanta eorum esse debeat Sanctitas. De qua S. Augustinus in Psal. 37. O! veneranda Sacerdotum Dignitas, in quorum manibus DEI Filius, velut in utero Virginis incarnatur. O! felices Sacerdotes, si Sacerdotaliter vixeritis. O! magnum mysterium, quod per vos Sanctissima Trinitas operatur, cœlum miratur, horrescit infernus: contremiscit Diabolus: reveretur quam plurimum Angelica celsitudo. Ille enim, qui creavit me sine me (si fas est dicere) creatur mediante me. Et ille, qui ex nihilo cuncta creavit sine me, dedit mihi creare se. O! Sacerdotes attendite! major est vobis dignitas collata, quam Angelis, qui adorant, quod vos conficitis.

Considerate (monet aurea Chrysostomi lingua) quo non oporteat esse puriores, atque ferventiores tali & fruentes & ministrantes Sacrificio? quo solari radio non splendidiores manus, Christi Carnem dividentes? Os, quod spirituali igne repletur, & lingua, quæ tremendo

mendo nimis sanguine rubescit? Cogitate, quali sitis insigniti honore, quali mensa fruimini, quod Angeli horrescunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc vos tractatis, hoc dividitis, hoc pascimini, & facti estis unum Christi Corpus, & una Caro. Et ideo Fratres Charissimi (verba sunt S. August. Serm. 152. de temp.) *unusquisque consideret conscientiam suam, & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, prius Confessionis lavacro, orationibus, jejuniis, & Eleemosinis studeat emundare conscientiam suam, & sic Eucharistiam præsumat suscipere.*

Præcognitio futuri operis.

Quid facere aggredior? negotium omnium negotiorum maximum! introibo in Sancta Sanctorum, hominum ad DEum Mediatorem agam! In conspectu Curiæ cœlestis coram SS. Trinitate publicam totius mundi causam perorabo! Parum est, sed etiam, quod non concessum Angelis, quod omnis creaturæ merita excedit, Corpus, & Sanguinem JEsu Christi veri DEI verbis producam, & cum SS. Trinitate operabor hoc magnum Sacramentum! insuper etiam manibus tractabo! intuebor oculis! ore contingam! in viscera recondam! O! negotium omnium negotiorum maximum! facessite quævis alia negotia, omnes alio avocantes cogitationes abite. Ruat mundus, pereant amici, quidquid pretiosissimum est unius horæ involvatur damno. Majus præ

omnibus negotium eſt. Ad hoc ſolum anima mea omnes potentiarum, ſenſuumque vires intende, hoc tracta. Cum illo jam inde occupari elige, cum quo beatiſſime æternum occupabere. Melior omnibus creaturis DEus, huic omnia creata poſtpone.

Docet S. Thomas proprium effectum hujus Sacramenti eſſe hominem in DEum transformare & ipſi per amorem aſſimilare. Qua ergo Fide debet eſſe imbutus, qua ſpe roboratus, qua ſuccenſus charitate, qua prædictus innocentia, qui talem victimam quotidie immolat, DEum ſuſcipit, & in ipſum myſtice transformatur? Quodſi diſpoſitio, ut ajunt Philoſophi, ejuſdem rationis eſſe debet cum forma, ad quam diſponit: divina procul dubio diſpoſitio neceſſaria erit, ut recipiatur cibus divinus, vita ſic inſtituta, ut divina ſit, & ſuperhumana, atque mundanæ atque carnali prorſus oppoſita.

Qui ſic vivit, ſecedit a creaturis, & ſoli DEO adhæret. Solus DEus in intellectu ejus eſt, ſolus in voluntate, ſolus in colloquiis, ſolus in operibus. Nihil in illo, quod ſapiat mundum, quod carnem redoleat, & ſenſum: ſe ipſum odio habet, corpus ſuum jugi mortificatione crucifigit, divitias ſpernit, honores fugit, amat neſciri, & pro nihilo reputari. Diſcutiat ergo vitam ſuam Sacerdos, & ſi talem nequaquam eſſe, ſed adhuc terrenam deprehenderit, in divinam transferre ſatagat ſedula virtutum exercitatione. Huc etiam pertinet externa corporis & veſtium mundities, gravitas & maturitas, quæ Presbyterum, hoc eſt, Seniorem deceat, taliſque compoſitio totius hominis, ut omnes ex ſolo ipſius aſpectu ædificentur.

Directio Intentionis ante Missam.

DEus Cæli & terræ infinite amabilis, & omnium bonorum fons indeficiens, ego N. omnium notarum miserrimus peccator, & Ecclesiæ tuæ Minister indignissimus, ante Thronum gloriæ tuæ humi provolutus, quam maximo possum amoris, reverentiæ & devotionis affectu, volo, & intendo hodie Sacro - Sanctum Missæ Sacrificium, altissimæ Majestati tuæ, cui soli debetur, juxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ offerre, & ex nunc offero, una cum omnibus Sacrificiis tibi placitis quotquot a principio mundi oblata sunt, & usque ad finem offerentur: simulque pretium Sanguinis, & cunctos labores, ac cruciatus Redemptoris nostri, omnia merita Sanctissimæ & Immaculatæ Genitricis ejus: omnium Sanctorum virtutes, totiusque militantis Ecclesiæ laudes, & preces. In unione illius admirabilis Sacrificii quod idem Unigenitus tuus in ultima cœna instituit, & in Cruce consummavit, factus Sacerdos suæ victimæ & victima sui Sacerdotii: affectu ac nomine ejusdem, totiusque Ecclesiæ suæ Sanctæ, & omnium mecum quocunque modo offerentium: ex puro tui amore, ac desiderio tui beneplaciti semper & in omnibus perficiendi. Ad tuam maximam laudem, & cultum, & gloriam: In protestationem supremæ tuæ excellentiæ, dominii tui in omnes creaturas, & nostræ subjectionis & dependentiæ a te: in cultum latriæ tibi soli debitum, simul cum adorationibus tibi gratissimis

ejusdem Christi Filii tui, B. Virginis, omniumque Angelorum & Sanctorum. In memoriam vitæ, passionis & mortis præfati Domini nostri, & in obedientiam ejusdem mandati, quo præcepit, ut idem in ejus commemorationem faceremus. Ad honorem & augmentum gloriæ Deiparæ Virginis, omniumque Angelorum & Sanctorum, eorum præsertim, quorum hodie festivitas celebratur. In gratiarum actionem pro universis beneficiis, quæ mihi indignissimo peccatori, cunctisque hominibus, & omni creaturæ conferre dignatus es. In propitiationem & satisfactionem pro peccatis totius mundi, & pro meis specialiter, de quibus doleo, quæque detestor, & abominor super omne detestabile, quia tibi maximopere displicent, cum firmo proposito emendationis. Et quia hoc Sacrificium vim impetratoriam infinitam habet, offero illud pro meis, & omnium viventium, ac defunctorum necessitatibus: & primo quidem fructum quem possum, & debeo illi principaliter applico, pro quo celebrare intendo, & si forte contingat, eum non indigere, vel non esse capacem, opto, & volo hunc fructum ad N. derivari: cum applicatione indulgentiarum mihi vel tali defuncto. Secundario autem sine ejus præjudicio, pro quo offerre primario teneor, vel intendo, offero pro omnibus mihi peculiariter commendatis, pro N. & N. pro tali gratia obtinenda: & pro cunctis viventibus atque defunctis, pro quibus me indignum famulum tuum legatione apud te fungi voluisti, ut de-

functis

functis requiem indulgeas, vivisque gratiam concedas tibi serviendi, & in amore tuo usque in finem perseverandi. Amen.

Ante Missam dicenti hanc Orationem.

Concessit 50. Annorum Indulgentiam Gregorius XIII.

Ego volo celebrare Missam, & conficere Corpus, & Sanguinem Domini nostri JEsu Christi, juxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis DEI, totiusque Curiæ triumphantis: ad utilitatem quoque meam, totiusque Curiæ militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis, in genere, & in specie, & pro felici Statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam, & consolationem Sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus. Amen.

Deinde illa potest dici Oratio ex l. 2. Mach. 1. Jonathæ Sacerdotis:

Domine DEus omnium Creator, terribilis & fortis, justus & misericors, qui solus es bonus Rex, solus præstans, solus justus, & omnipotens, & æternus, qui liberas Israel de omni malo, qui fecisti Patres electos, & sanctificasti eos: accipe Sacrificium pro universo populo tuo, & custodi partem tuam, & sanctifica, ut sciant gentes, quia tu es DEus noster.

Antiphona

Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel Parentum noſtrorum: neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter.

℣. Ego dixi, Domine miſerere mei.
℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.
℣. Convertere Domine aliquantulum.
℟. Et deprecare ſuper ſervos tuos.
℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.
℟. Quemadmodum ſperavimus in te.
℣. Sacerdotes tui induantur juſtitiam.
℟. Et Sancti tui exultent.
℣. Ab ocultis meis munda me Domine.
℟. Et ab alienis parce ſervo tuo.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Aures tuæ pietatis, mitiſſime DEus, inclina precibus noſtris, & gratia Sancti Spiritus illumina cor noſtrum; ut tuis myſteriis digne miniſtrare, teque æterna charitate diligere mereamur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet Secretum, purifica per infuſionem Sancti Spiritus cogitationes

cordis

cordis nostri: ut te perfecte diligere, & digne laudare mereamur.

Ure igne Sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus, & mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet: & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius veritatem.

Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus Sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis.

DEus qui corda Fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quæsumus Domine, visitando purifica, ut veniens Dominus noster JEsus Christus, Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti DEus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DEus qui de indignis dignos facis, & de peccatoribus justos, & de immundis mundos: munda cor, & corpus meum ab omni contagione, & sorde peccati, & fac me dignum, atque strenuum Sanctis Altaribus tuis Ministrum: concede propitius, ut in hoc Altari, ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles, atque placabiles offeram pietati tuæ pro peccatis, & offensionibus, innumerisque & quotidianis excessibus meis, atque cunctorum simul Christianorum culpis

abluendis, & per eum ſit tibi votum meum acceptabile, qui ſe tibi DEO Patri pro nobis obtulit Sacrificium. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti DEus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Actus diverſarum Virtutum.

Actus Fidei.

Perſuadeo mihi firmiter, mi dulcis abſcondite JEſu me ſub candido ſpecierum Sacramentalium velamine, millies deſideratiſſimum, & ſpecioſiſſimum vultum tuum latentem agnoſcere.

Perſuadeo mihi videre mentis oculis roſeum corpus tuum, ex quo Fontes ſaluberrimi quinque vulnerum tuorum Fontes aquarum viventium ſcaturiunt.

Et ſi non videam nunc in manibus tuis fixuram clavorum, & ſi non mittam manum meam in latus tuum, credo tamen, quia tu es Dominus meus, & DEus meus. Et quia te DEum meum in SS. Sacramento hic latentem firmiter confiteor, ideo nomine omnium infidelium te non credentium, & ſcire nolentium, nomine omnium Hæreticorum, & Schiſmaticorum te blaſphemantium, nomine omnium Dœmonum & damnatorum te non adorantium, ego credo, adoro, ante te procido, tibi nomine terreſtrium, & infernorum inclamo; centies millies laudetur SS. Sacramentum.

Actus Spei.

Scio mi Domine! quia propter peccata mea indignus ſum aere, quem reſpiro, indignus cœlo, quod aſpicio, dignus mille infernis. Et quomodo præſumam accedere ad te ſub his Euchariſticis ſpeciebus vere præſentem? Ibi enim adeſt corpus tuum Sole ſplendidius electum ex millibus. Ibi eſt Sanguis pro noſtra ſalute effuſus. Ibi denique latet divinitas tua.

Abyſſus tamen malitiæ, nequitiæ, & nihili mei, abyſſum invocat miſericordiæ & bonitatis tuæ Domine. Nam licet plures ſint arena maris iniquitates meæ, ſpero tamen, quia non repelles me a te, ſpero in pretio Sanguinis tui, utique & catelli edunt de micis Dominorum ſuorum.

Actus Charitatis.

Quid retribuam tibi Domine JEſu, quia tranſiturus de hoc mundo ad Patrem, reliquiſti nobis pignus amoris immenſi, donas nobis pretioſiſſimi corporis & Sanguinis tui Sacramentum?

Cur non mille habeo corda mi JEſu! quæ ad tantam tui vivi incendii flammam reſolvantur in cineres dilectionis tuæ? quomodo anima mea tota ſe non eviſcerabit, exinanietque in charitatem bonitatis & miſericordiæ tuæ.

O! ſi quantus quantus ſum, totus nunc conſumar, totus liqueſcam, totus ſuſpenſus de te deficiam in me, & tranſeam in te, totus vitali amoris tui morte moriar.

Actus Humilitatis.

Quis ſum ego eminentiſſime DEus, ut tantum opus aggredi audeam? quis ego ſum & quis tu es? Tu DEus magnus, & grandis nimis! DEus Majeſtatis! cui cogitatio nulla par! DEus Dominus omnium, quæ cogitantur, aut ſunt, & ſuper illa omnia?

Ego autem quis ſum? ego conceptus, & educatus totus in peccatis! ego peccator major & vilior, quam putem, & quam cogitari poſſim! ego labiis, & toto corpore pollutus! ego mille titulis debitum inferno caput! ego terræ exoſum pondus, & cœli odium! ego tanto vilior, quanto plurimum peccatorum conſtringor reatu! ego viliſſimorum omnium viliſſimus! Tantuſne DEus tantillo homini incorporabitur? O! Sacramentum! O myſterium! O arcanum abditum! quis unquam id beneficii genus auſus eſt optare? nunquam in cor hominis deſcendit dignatio tanta. O! Domine, ſi tu ob immenſitatem non agnoſcis te, ſine ſaltem, ut mea vilitas cognoſcat ſe, & quidem merito formidet conjungi tibi. O! cor meum, quam audax, & temerarium es, quod vel cogitare audes accedere ad hoc Sacramentum. Eſtne tibi Seraphica illa cryſtallo nitidior puritas? Inſtar miraculi Eccleſia prædicat, quod Filius DEI non horruerit Virginis uterum, qui tamen a Spiritu Sancto pulcherrimo gratiarum, donorum, ac virtutum omnium apparatu fuerat inſtructus. Quomodo igitur te

cubile

cubile Draconum, te proſtibulum, immundities, te ſentina ſcelerum non exhorreſcat? &c. &c.

Eliciendus actus Contritionis.

Commemoratio Dominicæ Paſſionis.

Omnes S. Patres, Commemorationem Dominicæ Paſſionis, Sacrificium celebranti, ſuper omnia neceſſariam eſſe affirmant, præcipiente Apoſtolo: Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. *Quæ verba expendens Seraphicus Doctor dicit:* Timeo nequaquam ſine remorſu conſcientiæ ac præjudicio ad Sacrificium poſſe accedere, niſi præmemorata ipſius inſtituentis charitate, ac ejus paſſione ac morte, in cujus memoriam perpetuo recolendam, illud Sacramentum debere confici, & percipi ipſe præclare aſſeruit, & injunxit.

PRAXIS.

Salvete delicata membra Domini mei JEſu Chriſti, pro ſalute noſtra diverſis pœnis in paſſione cruciata, ſalve reverendum caput pro nobis ſpinis coronatum, arundine percuſſum. Salve pretioſiſſima facies pro nobis conſputa, & alapis cæſa. Salvete benigniſſimi Salvatoris noſtri oculi pro nobis lacrymis perfuſi. Salve ſacrum os, gutturque ſuaviſſimum pro nobis felle & aceto potatum. Salvete aures nobiliſſimæ pro nobis opprobriis & contumeliis afflictæ.

Salve

Salve collum regium pro nobis colaphizatum, dorſumque ſanctiſſimum pro nobis flagellatum. Salvete venerabiles manus & brachia pro nobis in Cruce extenſa. Salve pectus diviniſſimum pro nobis in paſſione conturbatum & contuſum. Salvete pedes adorandi pro nobis clavis confixi. Salve latus glorioſum pro nobis lancea militis perforatum. Salve corpus JEſu totum pro nobis in Cruce ſuſpenſum, vulneratum, mortuum, ac Sepultum.

Salve cor mellifluum ſummæ Trinitatis gazophilacium pro nobis in Cruce diſruptum. Salve ter Santiſſima JEſu Chriſti anima ad mortem uſque contriſtata. Salve Sanguis pretioſiſſime e vulneribus Chriſti copioſe effuſe. Salvete adoranda Salvatoris noſtri vulnera, monumenta charitatis, & pretia Redemptionis humanæ. Per hæc vulnera tua mi bone JEſu, ſana animam meam, Sacro-Sanctis myſteriis celebrandis idoneum me fac Miniſtrum, & eſto propitius mihi indigniſſimo peccatori.

Oratio ad B. Virginem.

Glorioſiſſima Mater DEI Virgo Maria, tota fiducia mea, & unicum ſolatium languentis animæ meæ, precor te, ut mihi miſerrimo peccatori aſſiſtere hac hora digneris, qua pretioſiſſimum Filii tui Corpus & Sanguinem æterno Patri oblaturus ſum, ſicut amans, & dolens eidem Filio tuo in Cruce pendenti, & ſe pro noſtra

ſtra ſalute offerenti adſtitiſti. Ne me deſpicias, Mater miſericordiæ, ob intollerabilem peccatorum meorum fœditatem, neque avertas faciem tuam a me, quem Filius tuus tanto amore dilexit, ut pro me mori dignatus ſit. Plena es gratiarum, plena rore cœleſti, innixa ſuper dilectum tuum deliciis affluens. Ciba ergo pauperem tuum de ſupereffluenti menſa tua: tuarumque virtutum veſtibus indue me, ut his ornatus divino conſpectui gratus appaream. Memento illius charitatis, qua Verbum DEI ex te carnem aſſumpſit, ut tu fieres Mater noſtra. Aperi manum tuam, & imple me benedictionibus, quibus te DEus benedixit in æternum, ut te interveniente tremenda myſteria acceptabiliter perficere, & Sancta Sanctorum digne merear deguſtare.

Oratio ad Sanctos Angelos.

Sancti Angeli, Archangeli, omneſque Chori Angelorum, Spiritus puriſſimi, Miniſtri DEI Altiſſimi, qui facitis voluntatem ejus, & orantium preces in cœlum defertis: Tuque præcipue fideliſſime Cuſtos meus, ſtate mecum juxta aram, in qua DEO Patri totius mundi pretium oblaturus ſum, & in veſtris thuribulis incenſum orationum mearum ſuſcipite, ut fumus aromatum hujus divini Sacrificii aſcendat per manus veſtras in conſpectu DEI. Purgate, illuminate perficite, & dirigite me, veſtramque puritatem & innocentiam impetrate mihi, ut appaream coram DEO decenter ornatus.

Oratio ad Sanctum, cujus eo die Festum celebratur.

O! Sancte N. ecce ego miser peccator de tuis meritis confisus, offero nunc Sacratissimum Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini nostri JEsu Christi, pro tuo honore & gloria: precor te humiliter & devote, ut hodie pro me intercedere digneris, ut tantum Sacrificium digne & acceptabiliter offerre valeam DEO, & eum tecum & cum omnibus electis ejus æternaliter laudare & cum eo regnare valeam. Amen.

Actus alii superius videantur ante Communionem.

Recessus Altaris.

Antiphona.

Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis benedicentes Dominum.

Canticum trium Puerorum.

Benedicite omnia opera Domini Domino: Laudate, & superexaltate eum in sæcula &c.

Anima Christi sanctifica me &c. *ut supra post Communionem.* 146.

Canticum Simeonis.

Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum Verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Quod parasti ante faciem omnium populorum;

Lumen

Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Repetitur Antiphona: Trium puerorum &c.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter &c.

Confiteantur tibi Domine opera tua & Sancti tui benedicant tibi.

Exultabunt Sancti in gloria lætabuntur in cubilibus ſuis.

Non nobis Domine, non nobis, ſed Nomini tuo da gloriam.

℣. Domine exaudi orationem meam &c.

℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus.

Deus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium; concede propitius, ut nos Famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando, præveni, & adjuvando proſequere: ut cuncta noſtra oratio & operatio a te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur.

Da nobis quæſumus Domine, vitiorum noſtrorum flammas extinguere, qui Beato Laurentio Martyri tuo tribuiſti tormentornm ſuorum incendia ſuperare. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen,

Affectus

Affectus ad Dominum JEsum Christum.

Jam quod quæsivi habeo, quod concupivi teneo, dulcem JEsum invenio, cur jam corde non ardeo? Venite, audite omnes, qui timetis, imo qui amatis DEum, quanta fecit Dominus animæ meæ. En dilectus meus mihi, & ego illi, inter ubera mea, in corde meo commoratur, & qui creavit me, requiescit in tabernaculo meo.

O! admirabile mysterium, O! dulcissimum Sacramentum, O! adorande, & divinis tantummodo sat digne redamande amoribus Amor meus, quomodo ita me amantem redamabo? O! si millena corda haberem, eaque omnia plena iis affectibus, quibus abundavit unquam cor Mariæ, omnium Electorum, ut desideriis meis respondeat amor meus. Nunquam te amabo, quantum amabilis es, & quantum te amare vellem: Vellem si fieri posset, me tibi ita uniri, ut in permixtione hujus tam amabilis unionis me ipsum perderem, neque amplius essem nisi in te. In æternum volo amare te mi dulcis JEsu, verus DEus, & verus homo, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu Sancto te mihi nascens in socium, convescens in edulium, moriens in pretium, regnans in prœmium dare dignatus es.

Assumo omnium creaturarum, etiam possibilium adorationes, & amorosos affectus, omnesque illos in te amor mi, qnem hodie recepi, ple-

na

S. GREGORIUS. S. HIERONYMUS.



Ipse dedit - alios autem pastores
et DOCTORES. Eph. 4.

C. P. S. C. M. *Klauber Cath. Sc. et exc. A. V.*

na hilaritate effundo, eosque omnes tibi impendi, & affectum hunc in omne momentum & æternitatem continuari cupio, & continuo.

Absorbeat, quæso, mentem meam, ab omnibus, quæ sub cœlo sunt, ignita & melliflua vis amoris tui, ut tibi soli inhæream, solaque tuæ suavitatis memoria pascar, te solum in omnibus, & super omnia castissimo amore omni momento diligam & amplectar. Veni ergo o! Amator ardentissime ad pauperculam animam meam hic habites, quoniam elegisti eam. Ne pertranseas Servum tuum. O! dilecte votorum meorum, & dulcedo cordis mei, O! requies Spiritus mei, O! vita animæ meæ, DEus meus, & omnia.

O! si ferri possem illo incendio amoris tui, quo Sanctissima Mater tua primum in cœlum veniens te salutans, & adorans, æstuabat! O! si omnes guttæ sanguinis mei mutarentur in flammas æternæ charitatis, quibus ardent omnes Angeli & Sancti tui. Quia vero homo peccator sum, ad te recurrō O! Virgo Mater DEI, Mater amabilis, Mater admirabilis, amabilis in gaudio, admirabilis in honore. Per te nos exules Filii Evæ, accessum habeamus ad Filium, per te Servi profugi a DEO refugium habeamus ad Dominum, per te peccatis mortui viam inveniamus ad vitam, per te in æternum amemus DEum nostrum.

Gratiarum actio post Missam.

O! Dulcedo cordis mei, & vita animæ meæ, O! Essentia Essentiæ animæ meæ, & jucunda Requies Spiritus mei, bone JEsu, dulcis JEsu? immortales tibi ago gratias pro omnibus beneficiis mihi collatis: signanter vero, quia hodie dignum me fecisti verum & immaculatum corpus & Sanguinem tuum pretiosum consecrare, pertractare, illudque tibi offerre in memoriam tuorum mirabilium, ad tuam gloriam, & in remissionem omnium peccatorum, tam meorum, quam illorum, pro quibus orare, sacrificare, & offerre proposui, illoque in salutem, & consolationem animæ meæ cibari, & nutriri. Quapropter vere dicere audeo: Cibus meus Christus, & ego ejus. Multiplico ergo, & quotiescunque respiro multiplicare intendo meam voluntatem in infinitum in tuis laudibus: Precorque Beatissimam Virginem Matrem tuam Mariam, Angelos, Sanctos, præsertim cujus Festum recolimus, Sanctas, & creaturas universas, pro me immensas tibi referre gratias. Imo quia istæ minime sufficiunt: te rogo humiliter, tibi ipsi gratias agere, te laudare, & glorificare complaceas. Et quia dignatus est istam indignam, tuam tamen facere habitationem, dignare quoque apud ipsam perpetuam facere mansionem. Effice me hominem secundum cor tuum, uni me tibi intime, & totum transforma & transmuta in te. Salva me

JEſu Chriſte Mediator DEI & hominum, & cunctam a me hoſtis antiqui depelle nequitiam per tuam innocentiſſimam Paſſionem, & Sancti iſtius Sacrificii oblationem. Oro tandem, ut digneris gratias, & indulgentias omnes, quas hoc Sacrificio mediante acquirere, & lucrari poſſum, concedere, tam mihi, quam aliis vivis & defunctis, quibus applicare propoſui; quia te ipſum, & pro ipſis exoro, pro quibus & tu vis, & Sanctiſſimus Pontifex intendit hac de cauſa me debere orare. Amen.

Actus Humilitatis & Petitionis.

O! JEſu intime mihi præſens amplector brachiis animæ meæ venerandam Crucem tuam, & eam pro tui honore atque amore exoſculor. Præſta, ut ad te pleno deſiderio ſemper aſpirem, & in te dulciſſimo Centro animæ meæ ſemper reſpirem. Ecce Domine conſtituo me in infimo loco infra omnem creaturam, quia indignus ſum, quem terra ſuſtineat, ſubſterno, & ſubjicio me omnibus. Complector omnes, ſicut poſſum, ſincero amore: relinquo propter te omnia caduca: reſpuo, quiquid tu non es: renuntio omni delectationi ſenſuali, renuntio omni vanitati, & impuritati, renuntio omni propriæ quæſitioni, & immortificationi: reſigno me tibi funditus, omnem voluntatem meam in tuam transfundo. Fiat Domine, voluntas tua in me & de

me in tempore & æternitate. Offero me paratum ad perferendum cum auxilio gratiæ tuæ, quidquid tibi placuerit.

Eja ſuaviſſime JEſu mortifica quidquid mali, ac ſenſualiter vivit in me, quidquid vitioſum, & inordinatum eſt, quidquid tibi diſplicet, & exorna me meritis & virtutibus tuis. Eja præpara tibi gratam & amænam habitationem in me: Renova Spiritum, animam, & corpus meum excellenti gratia tua. Conforma me ſacræ humanitati tuæ: expedi & denuda mentem meam, eamque ſimplicem redde, & illumina, concede mihi liberam ad te introverſionem. O! Domine DEus, O! verum & incommutabile bonum, imple me teipſo, introduc me in nudum animæ meæ fundum, & transfer in te originem meam. Eja doce me, illumina, dirige, & adjuva in omnibus, ut nihil agam, nihil loquar, nihil cogitem, nihil velim, niſi quod tibi ſit acceptum.

O! Maria Virgo dulciſſima miſerere mei viliſſimi peccatoris, ſaluto, & veneror te. Impetra mihi plenam omnium peccatorum remiſſionem, impetra mihi perfectam mei mortificationem & abnegationem: Impetra mihi veram humilitatem, patientiam, charitatem, & linguæ, atque ſenſuum continentiam: Impetra puritatem, ſimplicitatem, libertatemque mentis, & introverſionem eſſentialem, ut fiam homo ſecundum cor Filii tui.

O!

O! Sancti, Sanctæque omnes, & Spiritus Angelici, quos DEus mellifluo vultu suo semper lætificat, orate pro me, saluto, & veneror vos, Gratias DEO ago, qui vos elegit, & in suis benedictionibus prævenit, impetrate mihi veniam, gratiam, unionemque divinam.

O! Clementissime & misericordissime JEsu miserere Ecclesiæ tuæ, miserere hujus loci, hujus Congregationis. Concede, ut sit hic humilitas, pax, charitas, continentia & puritas. Concede ut omnes digne emendemus, atque corrigamus nos, & timeamus te, & serviamus tibi fideliter, & diligamus te, & placeamus tibi. Commendo pietati tuæ omnia negotia, & omnes necessitates nostras, præsertim N. miserere omnium hominum, pro quibus Sacro-Sanctum Sanguinem tuum fudisti: Converte & revoca miseros omnes peccatores Da vivis veniam & gratiam, da Fidelibus Defunctis Requiem, lucemque sempiternam. Amen.

Alia Oratio ad JEsum Christum.

Sit JEsu dulcissime Sacro-Sanctum Corpus tuum, & Sanguis, suavitas, & dulcedo animæ meæ, Salus, & Sanctitas in omni tentatione, pax, & gaudium in omni tribulatione, lumen & virtus in omni verbo, & opere, solatium, & tutela finalis in morte. Amen.

Alia ad Dominum JEſum Chriſtum.

Recedo a te modicum dulciſſime Domine JEſu, ſed non ſine te, conſolatio, felicitas, & omne bonum animæ meæ: & me tuæ ampliſſimæ charitati cum omnibus Fratribus, Sororibus, amicis & inimicis meis penitus & obnixe commendo. Ama nos amantiſſime Domine JEſu, & cuſtodi nos a peccatis, & ab omni malo tuere. Tuo amore nos inebria, & transforma quam ſimillime in te: fac etiam, ut toti ſimus in te, toti occupemur in te, ac ſemper amemus te, idque propter te, nec aliud cogitationum, verborum, & operum noſtrorum ſit objectum, niſi tu Amor noſter, exultatio cordis noſtri, omne bonum noſtrum glorioſiſſime Domine JEſu. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus Sancti DEus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Formulæ in receſſu Chriſto ſe commendandi.

1.

O! JEſu DEus cordis mei infinite amabilis, totus deſiderabilis, eſto mihi JEſus, nunc & in hora mortis meæ, intra mellifluum cor tuum abſconde me, nec permitte me in æternum ſeparari a te: te fruar in vita ſolatio, in morte viatico, poſt mortem præmio, & omnes mecum per Lacrymas, Sudorem, & Sanguinem tuum rogo.

2.

2.

In manus tuas amabilissime JEsu simili affectu, quo se tibi Sanctissima Mater tua, & tu æterno Patri te moriens commendasti, me, omnesque mihi commendatos nunc & in hora mortis commendo: fac ut semper & in omnibus, in tempore & æternitate tuam sanctissimam voluntatem approbem, amplectar & exequar: secundum te vivam imitatione vitæ in te moriar participatione gratiæ, per te coroner communicatione gloriæ, ad maximam tuam, æternamque gloriam per Lacrymas, Sudorem & Sanguinem tuum rogo.

3.

Benedic me pie JEsu cum Patre & Spiritu Sancto benedictione perpetua, qui es via, veritas, & vita: reduc me erroneum, illumina cæcum, vivifica mortuum; fac me conformem vitæ, consortem gratiæ, cohæredem gloriæ: fac ut te digne fruar in vita, devote in meta, beate in patria, & omnes mecum per lacrymas, sudorem, & Sanguinem tuum rogo.

4.

O! JEsu! DEus meus, Spes mea, Amor meus & omnia! monstra te nunc, & in hora mortis meæ esse meum protectione Advocatum, dignatione Fratrem, commiseratione Patrem, dile-

dilectione Sponsum, salvatione JEsum: Fac, ut vivens & moriens semper, & in omnibus tuum sanctissimum beneplacitum brachiis dilectionis, & resignationis arctissime in æternum constringam, & omnes mecum per lacrymas, sudorem, & Sanguinem tuum, per merita tua, Beatæ Virginis Mariæ & omnium Sanctorum rogo. Amen.

Actus alii superius videantur post Communionem.

JEsus in vita amor meus,
In morte meus.

FINIS.

IN-

INDEX.

Bene-

De

Gemina

Ad

Medi-

Bibl. Jag.

LAUS DEO SIT SEMPER.





LAUS DEO SIT SEMPER.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0024663

